XXIX
B
68

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIX
B
68
NAPOLI

XXIX
B
69

DE PHALANGIO APVLO OPUSCULUM

In quo pleraque hiſtoricè, pleraque Philoſophicè de hoc Inſecto, ejuſque miro veneno enarrantur, ac diſcutiuntur.

AUTHORE

D. LVDOVICO VALLETTA

Monaco Cœleſtino.

NEAPOLI MDCCVI.
Ex Typographia De Bonis.

Superiorum facultate.

Digitized by Google

GENEROSO,
ET NOBILI VIRO
D. IACOBO DE FLORIO
Patritio Sipontino.

D. LUDOVICUS VALLETTA

Q Vàm aptè, jucundiſſimè, ac cordicitùs, amande Jacobe, elogio illo, quo ſapientem, & amiciſſimum Lælium, Cicero inſignivit, tecum uti poſſum:

Amicitiæ gloria excellentem, Te appellans; cujus veneranda jura ſic exactè calles, ſic cum tuis neceſſariis imples, ut miraculum beneficentiæ, & neceſſitudinis, vel in iis temporibus, in quibus perrarò Amici, & nuſquam omni ex parte abſoluti inveniuntur, cenſendus ſis. Tuam eximiam animi, & generis nobilitatē ſic glorioſis munis, & tutaris operibus, ut quemlibet, quem tu arctè familiaritate complecteris, beneficiis maximis, & aſſiduis cumulare non deſinas, & cumulando ex animo gaudes. Ipſe tamen, qui validiori, antiquioriſque neceſſitudinis, benevolentiæ, charitatis mutuæ vinculo tecum obſtringi merui, ſic indeſinenter ampliſſimis tui erga me amoris teſtimoniis devictus ſum, ut quodammodò ſub ingeſtis mihi tuæ generoſitatis monu-

men-

mentis, & pignoribus oppreſſus, quæſtus ſum, & ut illis modum imponeres, ſæpè præcatus. Tandem, ut ipſe, innumeris à te beneficiis affectus, mei devicti animi ſignum aliquod aliquando, & ſi tenue, reponerem (Charites quippè ideò ab Antiquis in Chorum conſertæ effingebantur, ut in Orbem beneficia redeunda eſſe, ſignificaretur; Undè & in proverbium ceſſit χαρις χαριν τίκτει) hunc meum de Phalangio Apulo libellum tibi devovendum cenſui; non ut vicem tuæ magnanimitati exiguo hoc munuſculo rependerem, ſed ut Mundo teſtimonium darem, me hac, qua tecum devincor Pyladea amicitia, prorſus indignum non eſſe, & unuſquiſque, me tibi addictum eſſe, cognoſcat. Nec ad hoc ſola iſta ratio me cogit; permultæ aliæ tuum excel-

ſum, ac nobilem animum conde-
corant virtutes, præcipuè in tuam
Patriam inconcuſſus zelus, &
charitas, propter quæ tibi hæc
obſequii, & venerationis teſti-
monia, & majora debentur. Con-
cives tuos teſtes advoco, quibus
(te in Patria tot vicibus Juris pu-
blici defenſore, & Advocato) ſic
alacri, & conſtanti animo profui-
ſti, ut contrà quoſdam, qui ut pro-
pria commoda, communi damno
augerent, ſiti, & fame tibi com-
miſſos cives vexare enormi, &
iniqua aviditate tentabant, ſic
juſto zelo excandeſcere viſus es,
ut parum abfuit, quin aut proprio
ſanguine tuam erga Patriam,
charitatem, aut alienum vindice
ferro effūdēdo, obſignares. Sed Tu
nec in tātis publicæ injuriæ vindi-
candæ cogentibus rationibus ci-
vici amoris immemor, animi ge-
ne-

neroſitate ductus, non tam injuſtis occupatoribus pepercisti, ſed & in hos populum conſpiratum tua authoritate frænaſti, & iras, & ferrum deponere coegiſti, contentus, ut poſtliminiò ſuis juribus reſtitueretur; Propter hæc ſtrenuè, & gloriosè facta, Cives tui, ne tempus memoriam tanti beneficii obliteraret, quemadmodum Romani Jovi Vindici, & Liberatori, marmoreum ſignum tibi communi ſuffragio decreverunt, & ni tua animi modeſtia obſtitiſſet, vota perſolviſſent. Quid igitur mirum, ſi ego à te majoribus forſan beneficiis cumulatus, in teſtimonium mei erga te intimi amoris libellum afferam, multò majora, ſi poſſem, daturus. Tu, perchare amice, qui mihi in medullis tam arctè hæres, *præſidium, & dulce decus meum*,

cui chara omnia mea, tua benignitate ſemper fuere, hunc quoque mei ingenii partum comiter accipe, & ad tuos blandos excipe amplexus. Vale.



Prudens Lector, ne aliquid deſideres, ecce mutato conſilio, quod pag. 66. indico, ipſius Phalangii effigiem hic imprimendam curavi.

AD LECTOREM.

CRede, Lector, me nec antè, nec dum de hoc inſecto ſcribebam, ullum evoluiſſe Authorem, de ipſo pertractantem; imò nec alicuius notionem præhabuiſſe, quo duce uti potuiſſem; putabam quippè nullum anteire ſcriptorem Apulum, ſeu exterraneum, qui diffusè, & minutiùs Hiſtoriam Tarantulæ texuiſſet; quapropter ea fideliter retuli, quæ toti Apuliæ perſpicua ſunt, omni fuco, & ambitione remota; & pariter ea, quæ de vi muſica, deque recurſu annuo huiuſce veneni, eiuſque indole, & quæ ad phyſiologiam pertinent, dicta hic ſunt, ex penu proprii ingenii, incertus tamen, an collineans, repoſui. At dum libellum hunc typis edere parabam, mihi cuiuſdã Georgii Baglivi Doctoris Medici volumen defertur, in quo inter alia, quæ ibi pertractantur, ad artem medicam ſpectantia, tractatulus de Tarantula inſertus legitur. Liber hic paucis ab hinc annis Romæ editus eſt: & forſam tunc, cum de Phalangio ipſe ſcribebam; at ty-

pis

pis citò exponere, quæ ſcripſeram rationabilibus de cauſis renui, donec diù per amicorum manus devolutum parvum hunc librum, horum conſilio, approbatione, & ſtimulatione, luci tandem dare decrevi. Author libri præfati, quamquam non indigena, ſed Apuliæ adventitius, tamen Aletii ſeù Lycii [Salentinorum Civitas] educatus, omnium ad pragmatiam Tarantulæ pertinentium, perfectè gnarus, cenſendus eſt; & ſi Romæ, quò conceſſit, diù ab Apulis plagis abſens, ſcribat. Nihilominùs in aliquibus, & vel in iis, quæ ad uſum partium Tarantulæ attinent, diſcrepamus; ut eſt inter alia, quod ipſe os huius inſecti in capite collocat; & forcipes vocat tela veneni emiſſaria, cum ego utrumque rationibus, & coniecturis, quas refero, adductus, inficiatus ſim. Cæterum ut huius beſtiolæ perfectam aſſequaris cognitionem, utrumque librum confer; comperies forſan diſtrictiori, diffuſiori, ne dicam exactiori examine hyſtoriam, & cætera me percurrere; quippè qui dum ſcribebam, ob oculos pleraque phalangia diverſæ magnitudinis in abaco ſcriptorio habui, & ad liquidum, omnes illorum partes extrinſecas ſcrutatus ſum.

Emi-

Eminentiſs. e Reverendiſs. Signore.

NOuello de Bonis Stampatore di queſta Fideliſſima Città, ſupplicando eſpone a Voſtra Eminenza, come deſidera dare alle ſtampe un' Operetta intitolata. *De Phalangio Apulo*, compoſta dal P. D. Lodovico Valletta Monaco Celeſtino. Per tanto ſupplica Voſtra Eminenza ordinarne la reviſione à chi meglio le piacerà, e l'haverà à gratia ut Deus, &c.

R. D. Nicolaus Federico revideat, & referat. Neap. 20. *Iunii* 1706.

SEPTIMIUS PALUTIUS Vic. Gen.
D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

Eminentiſs. & Reverendiſs. Domine.

LEgi, Eminentia Veſtra jubente, Opus, ſanè plurima eruditione refertum, cui titulus: *De Phalangio Apulo P. D. Ludovici Valletta Monachi Cæleſtini*; nec aliquid Orthodoxæ in eo Fidei noſtræ, vel bonis moribus adverſans inveni; quamobrem in lucem edi poſſe cenſeo, ſi ita Eminentiæ Veſtræ videbitur. Neapoli VI. Kalendas Julii MDCCVI.

Em. Veſtræ *Omni obſequio*
Famulus Addictiſſimus
Nicolaus de Federico S. Th. U. J. Lect.

Stan-

Stante retroſcripta relatione imprimatur. Hac die 23. Iulii 1706.
SEPTIMIUS PALUTIUS Vic. Gen.
D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

Eccellentiſſimo Signore.

NOvello de Bonis Stampatore di queſta Fedeliſſima Città, ſupplicando eſpone à Voſtra Eccellenza, come deſidera ſtampare un' Operetta intitolata: *De Phalangio Apulo*, che tratta hiſtoricamente della Tarantola, e del ſuo veleno, compoſta dal P. D. Lodovico Valletta Monaco Celeſtino. Per tanto ſupplica Voſtra Eccellenza reſtar ſeruita ordinare, li ſiano conceſſe le ſolite Regie licenze, e l'haverà à gratia ut Deus, &c.

Mag. Art. & Medicinæ Doctor Hieronymus Piperi videat, & in ſcriptis referat.

GASCON Reg. MERCADO Reg.
BISCARDUS Reg.

Proviſum per Suam Excellentiam Neap. 13. Octobris 1706.

Maſtellonus.

Ex-

Excellentiſſime Domine.

INgenioſiſſimum, eruditiſſimumque Opuſculum, quod inſcribitur: *De Phalangio Apulo*, à P. D. Ludovico Valletta Monaco Cœleſtino compoſitum, diligenter, ut fuit in mandatis, evolui; in eoque nihil Regali Iuriſdictioni, aut publico bono adverſari conſpexi; imò integra ſedulaque indagine ea omnia veſtigat, quæ inſecti illius animalculi naturam, mirumque veneni ingenium aperire valeant. Permitti proindè poterit, ut typis detur, ſi Excellentiæ Veſtræ placuerit. Neapoli pridie Kalend. Novembris 1706.

Excellentiæ Veſtræ

Addictiſſimus Famulus
Hieronymus Piperi.

Viſa relatione imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.
GASCON Reg. MERCADO Reg.
ULLOA Reg.
Ceteri non interfuerunt.
Provisum per Suam Excellentiam Neap. 5. Novembris 1706.
Maſtellonus.

Re-

Reverendiſſime Pater.

D. Ludovicus Valletta Sacerdos & Monachus Cœleſtinus, cupiens typis edere Volumen breve, cui titulus *De Phalangio Apulo*, humiliter P. V. Reverendiſſimæ ſupplicat, ut ejuſdem Recognitores deligat; quam, &c.

P. Lector Theologus Vener. Monaſterii noſtri S. Petri ad Magellam de Neapoli D. Fortunatus Palumbus, in Univerſitate Neapolitana Sacræ Scripturæ Interpres, & P. D. Cœleſtinus Petruccius huius Regalis Abbatiæ Murron. Archiviſta, Volumen prædictum diligenter, & accuratè recognoſcant, ac in ſcriptis referant. Datum in præfata noſtra Abbatia Murronen. die 26. Iunii 1706.

D. Ludovicus Abb. Gen. Cœleſtinorum.
Reg. fol. 88.

D. Beda Fuſarius Secretarius.

Reverendiſſime Pater.

EX mandato P. V. Reverendiſs. attentè perlegi lucubrationem de Phalangio Apulo à P. D. Ludovico Valletta Congregationis noſtræ Monacho Sacerdote eruditè, ac ſtudioſè elaboratam, nihilque in ea reperi, quod vel Orthodoxæ Fidei, vel exactæ morum

amuſſi

amuſſi diſſonum videatur; imò ſincera, accurataque indagine ea omnia diſcutit, quæ ad inſecti illius naturam, mirificamque veneni vim ſpectant. Quapropter è re litteraria futurum arbitror, ſi typis mandetur, quemadmodum mandari poſſe judico, ac debere. Neap.in Monaſterio SS. Petri,& Catharinæ ad Magellam die 21. Auguſti 1706.

P.V.Reverendiſs.

Humillimus,atque addictiſs. Servus

D.Fortunatus Palumbus.

Reverendiſſime Pater.

Liber de Phalangio Apulo à P. D. Ludovico Valletta ſcriptus, & à Paternitate Veſtra Reverendiſſima meæ qualicunque cenſuræ demandatus, opuſculum mihi videtur emunctiſſima eruditione refertum, ac proinde publica luce dignum; quò ſcilicet Authoris in ſcribendo cãdor cum religioſo vitæ genere conjunctus, exteris nationibus conceptum omne de tam incredibilis inſecti veneno, inauditaque ei medẽdi ratione amoliatur ſcrupulum; ipſæque invicem Deum optimum maximum in Orbe terrarum lucentem luculentius ex eo laudent, &

ad-

admirentur; dummodò Paternitati Veſtræ Reverendiſſimæ quoque ita videatur. Datum Neapoli in Monaſterio SS. Petri, & Catharinæ ad Magellam die 21. Auguſti 1706.

P. V. Reverendiſs.

Humillimus, ac devinctiſſimus in Chriſto Filius, ac Famulus

D. Cœleſtinus Petruccius.

D. Ludovicus Graſſi Abbas S. Spiritus de Murrone, ac Præſidens Generalis totius Congregationis Cœleſtinorum Ordinis S. Benedicti.

CUm opus, quod inſcribitur de Phalangio Apulo, Auctore P. D. Ludovico Valletta Monacho noſtro, duo ejuſdem noſtræ Congregationis Theologi recognoverint, ac in lucem edi poſſe probaverint: facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet videbitur. Datum ex noſtro Venerabili, & Regali Monaſterio S. Mariæ de Aquila die 3. Septembris 1706.

D. Ludovicus Abb. Gen. Cœleſtinorum

D. Beda Fuſarius Abb. Pro-ſecret.

DE

DE PHALANGIO APVLO

LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

RErum naturalium momenta, & cauſæ, quamquam exactè, diligenterque ad trutinam revocentur; ſic cæcis latebris involvuntur, humanæque ſolertiam mentis fugiunt, ut, & reclamantibus Philoſophorum ſcholis, nunciuſque nihil in rerum na-

tura prò comperto habeatur; & quò acuuntur ingenia, quò veritas in rebus, externis ſenſibus expoſitis, improbo labore, ſtudio, mechanicorum applicatione organorum, ratiocinationibus, theoreſibus quæritur, eò velociùs ſubtrahitur, denſiſſimàque caligine obruitur, nil ſui, ſe occultando, relinquens, quam confuſa, & incertum quò tendant, veſtigia; & ſolum ſcitur, ipſam in rebus adeſſe, incertum tamen an naturæ mortalis viribus aſſequi poſſit. Nec ſolum in maximis, ſublimioribus, & ſpectabilibus Naturæ operibus hoc animadvertitur, ſed & in illis, quæ viliora, & contemptibiliora vulgariter cenſentur, forſan clarius demonſtratur, ratione à magno Auguſtino adducta, dicente; (a) *Quemadmodũ Deus ità magnus eſt in operibus magnis, ut minor non ſit in minimis; ars enim divina qua & cæleſtia, & terrena opera fiunt, cum ea ſint inter ſe diſſimilia, ipſa in omnibus ſui ſimilis eſt, quia in ſuo quoque genere perficiendo, ubique perfecta eſt.* Indeque fit, quod in vilioribus, exiguiſque creaturis, nec minùs mirabilis, nec minùs potens cẽ-

ſen-

(a) *Contra Fauſt. lib. 21.*

ſcendus eſt, quam in maximis, nec Sol, aut ceteræ Cæli faces, Cælumque ipsũ aſpici, contemplarique dignius eſt, aut majorem mentibus noſtris admirationem ingerunt eorum conſtantes, & canonicæ periciclofes, miræque qualitates, quam abjectior, & immundior vermis. Indè evenit, ut ubi videtur, Naturam, quæ Deus ipſe eſt, vulgaribus ingeniis nil admiratione dignum pleriſque operibus ſuis, jugiter ſenſibus obviis, intexuiſſe, in illis ſollicitè, curioſèque animadvertentes irretiantur, caligentque. Nec propter hoc, in tanta rerum caligine ſuperba mens hominis frangitur, aut retrahitur; quin potius ultrò ſe ſtimulat; & difficultate cognoſcendi, ejus acuitur curioſitas; nolens enim ſibi injuriam irrogare, impotem ſe confitendo, pleraque ventosè autumat, & jactitat, ſe jam noviſſe; pleraque nullius eſſe momenti definit, ut in illis debeat ſe exercere; multa poſſe facilè deprehendere; & de nonnullis, de quibus rationem reddere nequit, dubitat, an Natura illa produxerit, quaſi & de aliis veras rationes jam reddidiſſet; aut quaſi res ipſas naturales omnes, corum-

que effectus obſervaverit, & cognoverit. Quis unquam tot animalium, ut ceteras pretercam res, operationes omnes, naturaſque noſcitavit, & ſi viliſſima ipſa, quotidianoque obtutu deſpecta videantur? nam illorum, quæ longè extrà noſtram agnitionem, & ſenſus ſunt, quæque ab iſtis Regionibus remotiſſimè diſtant, aut ſub illo naſcuntur Cælo, ad quod nunquam acceſſimus, & haud facilis acceſſus eſt, quis onomatologiam aſſecutus eſt? precipuè cum omnibus liqueat, unamquamque Regionem, ſicuti homines ſpecialis notæ, vultus, morum, craſis: ità bruta animalia forma, qualitateque differentia progignere; & de hoc ſolùm ambigit is, qui tam exiguæ, & perſtrictæ mentis eſt, ut totam Terræ latitudinem ſuo nidulo, in quo natus eſt, definiat.

Non tamen ex hoc infero, omnibus, qui res admirabiles tam hominum, quàm Brutorum in longinquis Terræ plagis naſcentium, nobis narrant, credendum eſſe. Non enim Plinio credam, (b) in Æthiopia, & alibi tot monſtroſos homines naſci; non tam

(b) *Lib.6.c.30. & lib.7.c.2.*

tam eo quod ſciam omnes illas hyperbolicas periodos, aniliaque peliramenta à neſcio quibus obſoletis, carioſiſque codicibus Græcis mutuatus ſit, ut me docet. (c) Gellius, tamet ſi ille non modo legiſſe, ſed & ſcire ſe ſe, ut idem ait, atque vidiſſe ſe jactitet; ſed ibi Plinium reſpuam, eoquià ſuprà humanam fidem illa portentà ſunt, nec ab hominibus illis in Terris appulſis unquam deprehenſa fuerunt, nec talium memoriam extitiſſe aliquandò invenerunt. Et quemadmodum ipſe Plinius libro Democriti, (d) quem ſe legiſſe ſcribit, in quo de vi, & natura Chamaleontis mira narrantur, dicit ſe nolle fidem præbere, propter deridiculas vanitates, quas in illo aſſerit ſe comperiſſe; ità prorsùs & ipſi non credam ego, tam mirabiles rerum effectus, qualitateſque narranti, quas longum eſſet hic recenſere, & quas, cum forſan ſibi non perſuaſiſſet, lectoribus credendas proponit. Sic de omnibus aliis mirabilioribus in Natura, quæ ab aliis Authoribus traduntur, ut in illis admiratione dignos ſe reddant, aut quià ab aliis illuſi fuerint, ratiocinari de-

(c) *Lib.* 9. *c.* 4. (d) *Lib.* 28.

debemus; de quibus,antequã comperta per experientiam, an talia ſint, philoſophari ſtultum:ſicut illis præproperè fidem præbere,bardi admodum, hebetiſque ingenii eſt.

¶ Damnabilibus nihilominus vitium eſt, illa non credere, quæ tametſi in aliquibus Regionibus non conſpiciuntur, in aliis tamen, in quibus perſpicua ſunt, quamquam mira, communi conſenſu omnium illius Regionis populorum, ſic fidem quotidiana, & ſenſibili experientia fundatam obtinent, ut de illis ambigere, aut ſuperbi ingenii, neſcientis de illis rationem reddere, nolentiſque ſuam ignorantiam fateri, aut pervicacis, tot hominum teſtimoniis refragantis, eſt. Inter hæc computandum cenſeo Phalangium Apulum, ejuſque certè admirabile virus, de quo hic pertractare in animo eſt.Labor quidem hic nec irritus forſan, nec inconſultus erit; nec me huic ad gloriolam apud legentes captandum ſubmiſi, ſed præmaturo conſilio, rationabilique cauſa motus,omnes namque homines, ad quos hujus inſecti notitia pervenit, aut perventura aliquando erit,immenſa curioſitate flagrare, ut de illo certio-

tiores fiant, pro comperto habeo; ſiquidem omnes, ad quos adivi variis itineribus, populi, me Apulum eſſe comperientes, ſollicitè, & anxiè de hoc Phalangio percontati ſunt; & ex longe ſemotis Regionibus, extremiſq; Orbis plagis, viros doctos, naturaliũque rerum rimatores ſolertes, pervigileſque, haud ignoro, illud accerſiſſe, ut ſaltem oculis explorarent, de cujus veneno tam mira quaſi per nebulam audivere; & neſcio an vita præditum, longo Terræ ſpatio emenſo, in ipſorum manibus pervenire potuit, cũ ipſe ſæpius expertus ſim faciliter, levique incommodo illud vita deſtitui. Quid de hoc inſecto remotiſſimè à nobis diſſitæ gentes judicent, ignoro; ſuſpicor tamen, aut nullam, aut dubiã peradmodum fidem apud illos inveniſſe. Siquidem non ſolum populis, iſtis noſtris Regionibus, ubi viget, & graſſatur, conterminis, qui & ſæpè de illo ſermocinari audiverunt, & aliquando oculis mirabiles ejus morſus effectus viderunt, ſed & pleriſque ex jiſdemmet Apulis, quamquam totum audiant, totum videant, fidem ſenſibus dare non placet; in illàque hæreſi ſunt,

ut autument omnia ea, quæ in ſauciis videntur, muliercularum eſſe deliramenta, ſeu vaniſſimas meretricum impoſturas, quibus Ludiæ noſtræ ſaltantes aptè quoad poſſunt, concinnèque veſtibus nuptialibus, aliiſque petulantibus pompis refertæ, concurrentibus ad eas viſendum juvenum turmis placere, & amabiles ſe præbere ſtudent; itàut non morbus, & peſtifera infectio, ſed laſcivorum animorum lenocinium ſit; eò vel maximè, quod potiſſimum è plebe mulieres tali arcano obnoxiæ ſunt veneno. At objectum hoc, ſicut & alia, ſuo loco refellam. Illud interim per tranſennam retuli, ut humanæ mentis morem notarem; hæc namque fidem illis rebus præſtare renuit, quæ ſuprà ipſius captum quodammodò ſunt; quaſi & talia pariter omnia Naturæ opera non ſint; in hunc autem labitur errorem, ut ſe ſubtrahat labori, quo maximo indigeret ad illarum rationes, cauſaſque venandum, quibus promptè non inventis, (nam difficiles inventu ſunt) penitùs illas, ut aperta mendacia, aut plebecularum deliria reſpuit, pertranſitque. Ipſe tamen prò viribus conabor fidem huic

Apu-

Apulo malo conciliare, ità ut iis, quibus ignotum prorſus eſt, fidem, & quidem non fucatam, faciam, illos autem qui videntes non intelligunt, & non intelligentes, increduli fiunt, ut credant, vel nolentes compellam.

Scio nonnullos extitiſſe, qui de hoc genere Phalangiorum, de quo mihi ſcribere in animo eſt, aliqua dixerunt; an autem omnia dixerint, & exquiſiverint, quæ de hoc dici, & exquiri poſsunt neſcio; illud ſcio, nullum extare, qui ea narrare poterit, quæ jugiter, & conſtanti experientia ſenſibus perſpicua in Apulia ſunt, niſi ſit Apulus; ſolummodò quaſi perfunctoriè exteri Authores ſententiam de ipſo tulerunt; & quamquam nonnulli ex ipſis, qui fortè fortuna Apuliam perambularunt, ſe obſervaſse profeſſi sũt, quæ anteà de hoc exitiali inſecto audiverãt, quià tamẽ ſemel ipſis ea vidiſſe contigit, non planè omnia noſse, nec veritatem multiplici experientia comprobare potuerunt. Extranei autem ſcriptores, ſi qui ſint, ad quos hujus beſtiolæ fama pervenit, aut manca, aut mendoſa, pleraque crediderũt, pleraque dictitarunt, quæ veritati con-

ſona non ſunt. Excuſatione nihilomi-nùs digni iſti cenſendi ſunt, quandoquidem rerum cognitio, per aures à delatoribus immiſsa, plerumque fallax eſse ſoleat; cum experientia conſtet, factum aliquod, quò per plures linguas expromitur, eò mendacio fieri vicinius, tandemque in apertam impoſturam deſinere. Equidem ſi in iſtismet Terris, in quibus tam manifeſtè, & indiſſimulanter Phalangiorum venena in tot hominum perniciem profunduntur, nec villula, aut tuguriolum extat, in quo non cernantur ab hujus maligna forcipe percuſſi, tam variæ, & inter ſe diſcordes de ipſo opiniones, & ratiocinationes ſunt; quomodò vera ſcire, & vera ſcribere poterit is, qui & ſi alioquidoctus, ſolers, diſertus, veritatiſque amator, & venator exiſtimatur; eò tamen quià longo Terrarũ ſpatio ab Apulia diſterminatur, à prætereuntibus ſibi notitias mendicare opus habet, quas forſan, & prætereuntes ab aliis acceperunt. Et quamquam eveniat, quod ab Apulis indigenis hujuſce rei cognitiones proficiſcantur, nihilominùs quià nec ſolertis, accurati, & rectè judicantis ingenii delator

erit

erit, ea tradere tantum ptis eſt, quæ inter vulgares, nulliuſque notæ homines, ſeù potiùs infimæ, exiguæque ſortis mulieres vana dictitantur; quæ omnia, ſicut prò comperto habeo, plerumque à veritate longè diſſita ſunt. Indè eſt ut tot fabellæ de Phalangio Apulo circumferantur, & non minus decipiantur ii, qui multam Saliis noſtris, quam qui nullam penitus fidem præſtant; Iſti enim ex illo ſunt, hominum genere, qui nimium ſe ſe efferunt, deque acie ingenii, nihil tumultuariè credentis, gloriantur, & probro ducunt cum fæminis, & ex vulgo hominibus ratiocinari, qui & ſi plerumque decipiunrur, poſsunt tamen vera narrare; illi vero omni doctrina, & maturitate aptè, & ordinatè rem diſcutiendi abjecta, indiſcriminatim totum quod oculis objicitur ſibi perſuadent; hinc eſt, quod falli, & fallere ſæpius ſolent. Ex quo malo multa, & aperta me ndacia prodierunt, quæ malè ab Authoribus perpenſa, luxuria, qua unuſquiſque laborat volumina paradoxis infarciendi, fidem apud poſteros invenerunt, ſic firmatam, ſtabilemque, ut quamquam à ſolertiſſi-

mis veritatis ſtudioſis detecta mendacia ſuerint, avelli prorsùs ab hominum animis antiqua illa conſuetudo credēdi non potuit. & tametſi hiſce præcipuè temporibus, in quibus veritas ulla, cui ſecurè, indubitanterque fidendum ſit adhuc reperta non eſt (cum quælibet rerum opinio maximis, indiſſolubilibuſque difficultatibus ſcateat, & multa commentitia philoſophorum placita ſuam probroſitatem, vel oſcitantibus ingeniis patefaciant) fidem nihilominùs apud pleroſque hebetes, amatores antiquorum dicteriorum, mendoſæ traditiones non amiſerunt; quin potiùs pertinaci petulantia, inconcinno, & probroſo clamore defenduntur in ſcholis.

Hoc idem propemodum noſtro Phalangio accidit, de quo multa abſona à noſtris antiquis tradita, & credita ſunt; quorum veſtigia poſteri ſectantes, non ultrà penſiculando, ſed pecorum more, illos ſequendo, in eamdem offenſam lapſi ſunt; & ipſorum incongruentibus, variis, & inter ſe pugnantibus notitiis exteri imbuti, inter Sphingas, & Centauros hoc inſectum repoſuerunt; præcipuè cum tanti illud

ſit,

ſit, quod phænomenis ejus veneni attentis, quæ quidem mirabilia, & varia ſunt, & cernuntur, amplam materiam dubitandi, vel reclamantibus oculis, præbeat.

Ipſe igitur huic malo occurrere geſtiens, diù rem totam in animo volutavi, perpendique; & ne in lubrico popularium opinionum pedem figerem, quam maximè in hoc opere cavi. At, dicetur mihi, quomodo te, aliorum objurgatorem, exactum veritatis perpenſorem probabis? Fatebor ingenuè, me poſſe errore duci, non tamen quemquam decipere velle; & in hac pragmatia an mihi fides præſtanda ſit, inquirere nolo, nec ad id quemquam cogam, dummodò qui legerint ſciant, me, ſi velim, poſſe vera referre; ſum quippè genere Apulus, patria Lucerienſis, quæ Civitas, vetuſtate nobilis, bellorum gloria inſignis, tanquam totius Apuliæ caput, tenui ſuper colle ſe erigit; ex hac namquè nomen Apuliæ incipit, cum ultra, Occidentem verſus, alii populi cenſeantur. Nec ſolum mei natalis ſoli, viciniorumque locorum propemodum ad unguem gnarus, ſed & omnia illa loca, in qui-

bus

bus mirabiles effectus hujus cernuntur veneni, variis me cauſis impellentibus, bis, terque peragravi; animumque meum deſiderio hanc rem intimè cognoſcendi flagrantem, quoad potui, anxiè, importunèque quemlibet percontando multiplici rei cognitione exaturavi. Sciant inſuper, credantque, benignitate ſaltem animi, ſi non ſummo jure coacti, me, cum conſilii fuiſſet de hac re ſcribere, penitùs vulgaribus dicteriis, & opinionibus præoccupatorum hominum nequaquam fidiſſe, quæ, ut dixi, etiam in meis conterraneis multis paraſangis à veritate diſtant; ſed peradmodum diligenti, ſolertique cura omnia rimaſſe, omnia perquiſiſſe, præcipuè ea, quæ ad hiſtoriam hujus inſecti pertinent, quam illa fidelitate texo, qua oculorum teſtimonia, quibus totum me fidi, mihi rem aperuerunt; & ſi quæ ſunt, quæ ab aliis mihi tradita ſcribo (quis enim omnia in tanta rei varietate, variiſque hujus virus effectibus, quamquam in unum, nempè in ſaltandi modulo coeant, cognoſcere poſſet?) non ab uno, aut altero contentus fui certior fieri, ſed multos aſcivi teſtes, multoſq;

na-

nactus ſum idoneos probatæ fidei, & ſufficienti doctrina præditos viros; & omnium iſtorum teſtimonia ſibi invicem collata, an conſentanea eſſent, & veriſimilia trutinavi. Miror maximoperè, Plinium, neſcio qua oſcitatione cæcutientem, exiſtimaſse, (e) Phalangium eſse Italiæ ignotum; cum potiùs non tantum ſpecies ipſorum, de quibus pertractamus, ſed pleraque alia, & in iſtis oris, & in aliis Italiæ, ſeù venenata, ſeù innocua naſcantur, ut cuilibet notum eſt. Neque inficiari quis poteſt, de genere Phalãgiorũ hoc noſtrum eſse, quamquam ex connumeratis ab hoc Authore, figura, colore, natura, qualitate veneni id non appareat; quare potiùs ipſi, quam Italiæ ignotum cenſendum eſt. Phalangium namque, ſeù phalanx, indè apud Græcos tale nomen ſortitum eſt, quod ternis internodiis habeat ſua crura diſtincta; digitorum quippè internodia φαλαγγας Græci vocant; quidnì igitur Phalangium, ſeù Phalanx vocabitur hoc, cui talia internodia ſunt in cruribus? Certè in hoc ſcriptor iſte, qui ſolerti, pervigilantique ingenio, &

cu-

(e) *Lib. 29. c. 4.*

ćura ſecreta multa Naturæ rimatus eſt, quamquam in multis rebus, aut nimium dictis delatorum, & antiquorum ſcriptorum fidens, aut non ſatis rerum à ſe ſcriptarum experientia curioſus, à veritate aberrat; & cum totum propemodum mundum minutatim in illa ſua Iſtoria complexus ſit, ſuæ Italiæ tam vulgare, notumque inſectum non ſolum ignoravit, ſed ex Italia expulit; & pari errore ductus fuit, cum de Hyſtrice effatus eſt, (f) quem ſolam Indiam,& Aphricam generare aſserit, cum ſæpius à venatoribus Apulis hoc animal reperiatur, & occidatur, ut mihi aliquando videre contigit. Nonne, ut ad Phalangium redeam, etiam hoc, de quo agitur, prætermiſso, pleraque illorum, quæ in parietum angulis, & domorum laquearibus ſua viſcera nent, &, ut ipſe dicit, tam moderato, ungue, (g) tam tereti filo, & tam equali deducunt ſtamina, Phalangia, ratione qua ſuprà, vocari debent? At quid in re tam clara longius immoror, quaſi materiem dubitandi præbere poſſit, quod vel cæcis ipſis prò comperto eſt; præſertim cum

(f) *Lib.8.c.35.* (g) *Lib.21. c.24.*

cum exteræ nationes, quibus præcipuè ſcribo, de veritate Apuli Phalangii forſan non ambigant, ſed tantum de ejus veneni effectibus.

Primo igitur animadvertendum cenſeo, ubi hoc genus Phalangiorum naſcatur, & degat, quænam ejus figura, & corporis habitus ſit, & cetera ad ipſum ſpectantia; deindè ejus veneni effectus, prò quibus probandis rationes congruas, & conjecturales primò afferam, quibus exiſtimandum eſt talem maniacam quodammodò labem in ſauciorum ſanguinem hoc dirum entoma profundere, qualis in ſaltantibus conſpicitur, & objectis pervicacium incredulorum occurram. Indè phyſicis theoreſibus, quoad poſſum, examinabo, quomodò, & quarè eveniat, ut hujuſce exitialis inſecti virus tam violenter, impatienterque Menadum more percuſsos ad ſaltus impellat, & quarè ſemel ſaltatione excuſsum, toto anno conſopitum, ſtato tempore ad ſua phænomena redeat. Poſtremò exemplis, hyſtoriiſque fidelibus quarum ocularis teſtis ipſe fui, ad refractorios convincendos utar.

Vbi

Vbi Phalangium naſcatur, & degat.

CAPVT I.

NAſcitur hoc dirum, & exitiale inſectum in tota prorſus Apulia. Nomine autem Apuliæ cenſetur totus ille Terræ tractus, initium ſumens à mea Patria, quæ, ut dixi, Apuliæ caput eſt, & Orientem verſus progrediendo, uſque ad Salentinum promontorium, ubi Adriaticum Tyrreno mari, Ionioque coit, & una cum Italia definitur. Intrà ſe continet, Dauniam, Japygiam, Calabriam, in qua clariſſima Vrbs Tarentum huic Phalangio nomen dedit (vulgò quippe Tarantula in commemoratis Terris appellatur, hocque potiſſimum nomine Scriptoribus notum) & Salentinos populos. Non ſic tamen iſtis in oris naſci illud exiſtimo, ut non credam, & alibi reperiri, præcipuè cum Plinius pleraque Phalangiorum genera afferat ictibus noxia, aliis in mundi par-

partibus naſcentia, & degentia, inter quæ & noſtrum animadvertiſſe neſciēter autumo; eo vel maximè quià aliqua illorum, & ſi ſummatim, & nimis avarè deſcripta in nonnullis noſtro aſſimilantur Phalangio. Quamquam ità ſit, certè nullibi compertum eſt Phalangii ictus ad talia ſaucios extimulare qualia hic cernuntur; ſorſan quià diverſo ſub Cælo, diverſa imbuitur qualitate; quemadmodum non tam de Brutis animalibus, quæ in aliquibus Regionibus exitialia, in aliis innoxia eſſe perſpicuum eſt, & Plinius ipſe, ſi vera refert, innocuos in Italia Scorpiones, non poſse vita frui in ſiculi Cæli Regione: in Aphrica autem, & alibi lethales aſtruit; quam de plantis etiam certum eſt, quæ tranſductæ ex noxiis ſalutares, aut è contrà evaſerunt. Hoc adnotavi, eò quià nonnulli, ut periculum de veneno Phalangii facerent, ab hoc, ex Apulia in ſuis Regionibus advecto, effecerunt, ut alii morſu appeterentur, in quibus illa non comperiētes, quæ de tarantatis Apulis decantantur, veneni naturam, ut delirium mentium, & impoſturam deriſerunt. Apulis in planitiebus igitur hoc entoma

ma invenitur, & frequentiùs apricis in locis, & quæ lentè exurgūnt in colles, in quibus & contrà meridiem perpatulum ejus foramen crebrò hians reperi, & in ſolo, aut nunquam vomeribus, & bidentibus obnoxio, aut quod per annum ſaltem aratra non ſenſerit.

De ejus Cavernula.

CAPVT. II.

IN nuper dictis locis cavernoſum ſibi nidulum Phalangium fodit, arte quidem mira, ſed quibus inſtrumẽtis, fatebor ingenuè, non tam me neſcire, quam admirari. Cum enim membra omnia ipſius corpuſculi diligenter ſcrutatus eſſem, nullum tam ſolidæ duritiei reperi, quod potens judicari poſſit ad Terram duriſſimam, & quidem altè fodiendam, quemadmodum illa eſt, in qua abditur, quæ ægrè ictibus ſarculorum, ſicut ſæpè periculum feci emovendam ſe præbet, & duriſſima cruſta, crebriſque lapillis compacta eſt, & nunquam, ut dixi, rurali inſtrumento laceſſita. Agreſtes, & ſemper ruri degentes homines ſæpè

im-

importunè conſului, ut mihi rem aperirent, ſi aliquandò illa ſuos ſpecus fodientia comperiſſent; nihil tamen mihi certi retulerunt, tametſi multa conjecturaliter mihi narraſsent. Ipſe tamen reor, nec forſan temerè, illa non flexibilibus ſuis, tenuibuſque cruribus Terram effodere, ſed forcipè illa, quæ in eorum ſincipitibus, de qua mox dicam; cernitur, & quià oſseam quodammodò duritiem imitatur, & quià oſseis pariter, peracutiſque ungulis in ſuis extremitatibus circumſcribitur. Huic opinioni inſedi, cum perſpicuũ haberẽ, locuſtas, domeſticã Apuliæ labem, abſque tali oſseo adiumento Terram pariter, nonniſi longo tempore incultam, cruſtaque quaſi ſaxea deductam terebrare, & quod magis mirum eſt, caulibus fatuoſis, quos tandem in effoſsam Terra dimittunt.

Patulum ſpecus foramen rotundum eſt, aridis ſtipulis, circumquaque miro artificio, & ſolertia, viminibus telarum ex eorum viſceribus expreſſarum contextis, coagmentatiſque, tamquam vallo ſeptum, ſuprà foramen ipſum aliquantulum exurgens.

Ex

Ex hoc didici, ipſa, arte telas fabricandi, ſicut alia Phalangia, pollere, ſed proptèr loca, in quibus degunt, alia ratione victus captandi, quam per inſidias telarum opus habent. Vallum hoc, ut ſolidius, firmiuſque peripheriæ foraminis incumbat, tenaci, glutinoſaque creta in ejus baſi firmatur, & pleraque illorum tota introrſum tali cretaceo glutine ferruminantur, quod à ſole arefactum quodammodò dureſcit in ſaxum. Quando foramen in plano ſolo eſt, eo quià non recta Cælum reſpicit, pariter, & vallum flectitur aliquamque Mundi plagam, & frequẽtiùs meridionalem, reſpicit. Hoc vallum prò munimine ipſis eſt, nè aquis pluvialibus, per declivia collium, ubi, ut dixi, frequentius degunt, diſcurrentibus, inque caveis irrumpentibus, ſuffocentur. Ubi enim illùc pervenerunt rivuli, obice illo invento, aliò divertuntur. Et quià iiſdem aquis, ex alto cadentibus eſſe obnoxia facilè poſſent, non quià recta in eorum ſpecubus hiãtibus ſe intrudere queant, quià ora, ut retuli, Cælum non recta reſpiciunt, verum tamen procelloſo vento circumactis, & in ipſorum caveis jaculatis;

huic

huic malo provida, ſolertique diligentia, qua ipſas moliuntur, occurrunt. Comperi quippè, talia hypogea ſarculo devaſtando, quod per admodum ſinuoſa, & multis anfractibus obliqua, & introrſum concamerata ſint; & nubilo, pluvioque Cælo, ut ſe ab aquis ſupervenientibus defendant, fornicis apogæo, villis, quibus pedes referti ſunt, adiuvantibus, firmiter adhærent. Commemoratum aggerem nō in omnium foraminum orificiis reperi, aut fortaſſe nimia pluvia, aut pedibus per tranſeuntium hominum, vel animaliū, aut ventis validiùs flantibus, vel alia de cauſa devaſtatum; ſi tamen tempus ſuppetit, denuò illam compingunt.

Quandò è caveis egrediatur; quam prædam, & quomodò venatur.

CAPVT III.

E' Cavernulis interdiù non egreditur, aut rarò, ſed ex tunc, cum ſol occidit, & per totam noctem per vicinia tranſcurrit ad prædas captandas; reliqua diei parte abditur, tametſi, ſole occaſo quandoque delitescens

in caveis offendiſſem, in quibus non veternoſum, nec ſinè ſpe aliquid venandi procumbit. Animadverti namque illud duobus pedibus anterioribus diſtentis, ità ſe ſe paulò intrà foveam componere, & aptare, ut tamquam pervigil aggreſſor preſto ſit ad prætereuntem illac caſu prædam arripiendam, quam vigilantibus, micantibuſque peradmodum ocellis (tales enim in obſcuro ſe præbent videndos) ſcrutatur. De hoc ſæpè periculum feci; cum enim cuſpidi ſtipulæ infixum aliquod entoma, de quo veſcitur, in veſtibulo foraminis illi ſic diſtento obtuliſſem, continuò avidèque proſiliēs, illud arripuit forcipibus, & in fundo caveæ lætanter, & feſtinè ſe contulit, ut penitùs humoribus deſiccaret, quo facto, iterum ad inſidias rediit. Veſcitur variis inſectorum generibus, quibus abundè Apulæ planities ſcatent, tam reptilibus, quam volatilibus; ideoque magis noctu, quam interdiù circumcurſat, quià tunc temporis facilius illa venatur, quippè quæ tunc nocturno frigore torpeſcunt, defenſionique inepta ſunt. Vt interdiù è ſpecu egrediatur tenui avena exibilantes ad

os caveæ Apuli compellunt, neſcio ad ſonum occurrens, quo delectatur, an prædæ vocem illam exiſtimans.

De ejus forma, & habitu corporis.

CAP. IV.

HVjus formam, habitumque corporis, & membra, quoad poſsũ graphycè, membratimque deſcribam, quamquam non ignorem, neminem eſſe, qui hoc ſaltem depictum non viderit in Authorum libris, qui de inſectis verba faciunt, aut qui de hoc ſpecialiter pertractant. Octo pedibus hinc indè æqualiter diſtributis incedit, in quibus terna internodia habet, ſicut cetera Phalangia, & quatuor articulis pedes flexibiles ſunt. Omnes inferiori parte colore albicante ſuffuſi ſunt, nigris faſciolis circumcingentibus, quæ tamen ſuperiores partes non complectuntur; In eorum extremitatibus, & qua pectori innectuntur, penitùs nigreſcunt. Pectus, cui pedes omnes conſuti ſunt, totum tegitur, & firmatur quodam quaſi ſcutulo nigro, villoſoque, oſtreaceæ corticis quodammodo

duritiem imitante; quod ſcutulum a vulgari turba ſpeculum vocatur, & tale propemodum conſpiciendum ſe præbet; ſublucidum namque eſt, lucidiuſque eſſet ſi nigræ illæ, albicanteſq; lanugines, quibus refertum eſt, ſuam perſpicuitatem non obnubilarent. Ex hoc aut ſpeculo, aut ſcuto, quod ovata figura eſt, tamquam à centro, crurum lineæ ducuntur, quæ quò à tali principio longius recedunt, eò exiliores ſunt, & omnes circumquaque perminuta lanugine veſtiũtur? Ex humeris bina cornicula emergunt, ſeù potius brachia, ſic enim aptius vocanda, & exiſtimanda cenſeo; cum non tam ad prætentandum, ſicut cocleis, in quibus oculorum vicem adimplent, ſed ſicut Elephanti promuſcis quodammodò illi inſerviunt. Iſtis enim brachiis prædam aufugere volentem ſiſtit, & forcipi vicinæ laniandam præbet; ideò flexibilia magis, quam crura ſunt, & agilitate maxima prædita; terna internodia pariter habentia, colore flavo tincta, lanugine cruribus ſimilia, plus tamen conferta, ut difficilius, ea, quæ venatur, inſecta in illa irretita, evadãt. In extremitatibus tanquam unguiculis ni-

nigris, ſolidiſque muniuntur; longitudine paulò minus, quam medietate diſparia cruribus ſunt. Magna vi tactus inſigniuntur, ſemperque, gradiente illo, in motu ſunt; & quemadmodum venaticus canis nares in Terra demittit, avidèque ferarum luſtrat veſtigia, ſic ipſa ſolertèr, ſedulèque omnia rimantur, omnia prætentant, ut nihil amplius præſtare poſſent, ſi ſpiramina haberent ad res olfactu dignoſcendas. Tamquam ducibus fidelibus, & ſquillis iiſdem utitur; & dum ſomno Phalangium obrutum eſt (ſi verum eſt, quod mihi plerique retulerũt) tranſvolitantes, pretergradienteſque beſtiolas, quamquam lentè, & ſinè murmure, aut aeris perculſi motu, aut ſpirituum emiſſione, deprehendunt; undè continuò expergefactum ad illas captandas ſe preparat. Alvus, ſicut aliorum Araneorum, ſubtus eodem colore candicante veſtitur, ad flavum aliquantulum vergente, & in ſuo meditullio perſpicua nigri coloris macula, ſeù faſcia inficitur, aliis punctis, & lineolis nigricantibus intercurſantibus, præcipuè qua reliquo corpori nectitur; minutiſſima, & penè inſenſibili

lanugine refertur. Superficies corporis ſuperior tota claro ſubalbidoque colore ſuffuſa eſt, at in grandioribus, ſubfuſco, albicantibus maculis, faſciolisque. Pariter tota lanugine inſperſa eſt, ſed variè guttis, exiguiſque lineolis terrei coloris diſcurrentibus diſtincta, & præcipuè ejuſdem coloris lineis, ſcutuliſque variegata indorſo, quà corpus definitur. Inter ipſas lanugines, quæ tamquam lanæ tomenta ſunt, per raro diſperſi, aliquandò prominentes cernuntur nigrantes quodammodo pili, ſeù ſetæ. Ipſum ſuas inciſuras indorſo habet. Duritiem in quibuſdam ſui partibus, quaſi cancrorum imitatur, ut in capitis apice, in pectoris ſcuto, in forcipe; in aliis lenius eſt; mollis eſt alvus, qui quaſi delicata pelle circumducitur. Caput maximè in ſui anteriori parte locuſtæ ſimile eſt; & in fronte ocelli duo nigerrimi, rotundi, perfectè levigati, oſſeæ duritiei, perſpicuitatis cryſtallinæ micant; interdiù nulla luce conſpicui, at in obſcuro loco poſiti, ſicut dum in cavea ipſo commorante cernuntur, aurea, ſplendentique luce mirè rutilāt; idem præſtant cum noctu ex oppoſito,

pro-

proportionali diſtantia ſe præbent videndos; undè & felineis ſimiles, nativo, & intimo quodam ſplendore perfuſi ſunt; & propterea cenſeo majori energia noctu, quam interdiù pollere, ideoque noctu Phalangium circumcurſare. Immoti ſemper perſeverant, nec ſomno clauduntur, nec connivent, & aliquandò à me acicula exagitati, ex ſenſus prorſus viſi ſunt; ideoque Natura eos palpebris non munivit, duritie contrà extrinſeca tutos. Quomodò ergo per iſtos quodammodo oſſeos ocellos ſpiritus animales prærumpunt? cum perſpicuum ſit naturam reliquis animalibus oculos efformaſſe tam tenuibus, delicatiſque tunicis circumductos, ad hoc (ut reor) ut per ipſos facilius ſpiritus illi tranſmitti poſſent, per nervorum vehicula irrumpentes, ipſoſque oculos in orbem agendo; hoc trutinandum phyſiologis trado; juvat tamen cum Platonicis credere, qui cũ magiſtro Platone in Timeo aſſerunt, participes oculorum orbes eſſe illius ignis, qui non comburit, ſed ſuaviter lucem Mundo infert; cui intimus ille congenituſque in toto animalis corpore diffuſus ignis germanus ſit, quo-

dammodò ſympatico nexu cùm ipſo revinctus; & dum his, qui ſpecialius, & uberius, propter formam, & levigationem, qua compacti ſunt, illo igne donantur, applicatur, ſeù, ut ità dicam, accorporatur cæleſtis totoque Mundo diffuſus ignis, actus ille, qui viſio dicitur perficiatur; undè ſufficiēs eſſe philoſophantur ad videndum, ut in oculis perfectè lævigatis, & expolitis objectorum exteriorum imagines depingi poſſint, tamquam in ſpeculo. Intimus ille, & genuinus ignis aliquãdo tali energia præditus eſſe poteſt, ut & nocturnas tenebras irrumpens, circumjectumque aerem circumquaque illuſtrando, objecta oculis præbeat cernenda, quemadmodum nondum in fælibus, in hoc inſecto, & in pleriſque animalibus evenit, ſed & in hominibus aliquandò: uti de Tiberio fertur, & de ſe ipſo cũ juramēto teſtatur Celius Rhodiginus. Credi & rationabiliter poteſt, per ocellos oſſeos Phalangii, quemadmodum flamma illa in tenebris conſpicua, ſic ſpiritus animales poſſe emergere; durities quippè illa lævigatione, & diaphaneitate temperatur, & vincitur. Illud etiã

quie-

quietem ſomno captare exiſtimandum eſt, & ſi pateant oculi; facultas enim illa, ſeù virtus, quæ oculorum organa exercet, dum vigilat, ſopore quodammodo obruitur, & illis non utitur, dum dormit.

Qua os in ceteris animalibus patet, exurgit tamquam forceps, nigri coloris, oſſeæ duritiei, quæ capiti jungitur; in anteriori parte flaveſcentibus lanuginibus inſperſa, quam pro ut uſus expoſcit, nunc contrahit, nunc aperit. In duabus ſui extremitatibus ſubtiliſſimi, acutiſſimique corneæ ſoliditatis nigerrimi unguiculi, tamquã ſelium, introrſum arcuati innectuntur, & quemadmodum obſervatur in ſelibus, cum ad nullum opus exercentur, ita in ſe ipſos complicati inter lanuginis partes abduntur, ut vix ſenſu pateant. His, prædam brachiis arreptam, pertinaciter ſtringit, & ori admovet, verſus quod curvantur; & ipſorum unguiculorum vi, prædam ſtrictim comprimentium, dilaniantiumque, ſuccus ille exprimitur, quo nutritur, cum ſuctione, ſicut cetera Phalangia, non comeſtione alatur.

De ejus ore, & an ſpiret.

CAP. V.

VT de ejus ore loquerer, ſeù de foramine illo, quo ad ventrem ſuccus delabitur, animadverti, illud non in ea parte corporis extare, in qua cetera animalia habent, nempè in capite, quemadmodum omnes exiſtimāt, & ipſe aliquandò, priuſquam rem ſedulò perpendiſſem, in tali errore verſatus ſum. Diligenter quippè eam corporis partem cùm luſtraſſem, os in Phalangio non reperi; & miratus ſum quare alibi, quam in capite ei efformaſſet Natura organum illud, quo certus eram, omnia animali vita vivētia neceſſariò inſtructa eſſe debere, & nutritionis cauſa, & ut aer externus in ipſis reciprocetur; quandoquidem & hoc animal reſpirare, ſicuti omnia inſecta, quamquam nonnulli inficientur, non dubito. Prò qua inſectorum reſpiratione noto, & apud Plinium, & Philoſophos multos ambigi, illoque præoccupato judicio inconſultò, ceceque ferri, quo nullum animal pul-

mo-

mone carẽs reſpirare poſſe, aut neceſſè habere exiſtimant. Ipſe autem, ut aliquid circà hanc pragmatiam per tranſennam proferam; primò neſcio, an in omnibus animalibus, ut ſpirent, pulmo requiratur; ità ut abſque hoc reſpirare non poſſint omninò, nec reſpiratio, quibus illo indigent, proſit; cùm benè potuiſſet Natura inter alia ſua mira humanæ menti ignota, quorumque cauſæ latent, aliis organis, vicem pulmonis adimplentibus, animalia non nulla compingere, quibus reſpirare poſſint, & debeant, ut vivant. At plerique artis Naturæ ignari, & non nimium curioſi, generaliter animadvertendo animalia pulmone referta ſenſibiliter reſpirarè, ſtatuerunt, attenta pulmonis oechonomia, illum ſic eſſe organum reſpirandi, ut in quibus non invenitur, aeri externo aditus ſit nullus; non ultrò conſiderando, nonnulla ſinè auribus audire, ideſt ſinè illo admirabilis ſtructuræ, ſinibus, anfractibus, protuberantiis, cavitatibus referto organo; quemadmodum in Delphino non ſinè magna admiratione Plinius notavit, (f) quem, & cantu mul-

 ceri,

(f) *Lib.* 11. *c.* 37.

ceri, & ſono attonitum capi, prò comperto habetur; nec olfactus veſtigia habentem, ſagaciſſimè tamen olfacere; Quarè ergò pariter pulmone carẽtia, ut ſunt entomata, in admirabili tam ſubtilium eorum, minimorumque corporum officina, inſtrumenta habere non poſſunt, quibus reſpiratio perficiatur? eò vel maximè, quod majorem admirationem ingerat culex, conſideranti quomodò tot perfectis ſenſibus ægrè viſibile animalculum præditum ſit, in quo quamquam difficulter diſtinguantur, & forſan penitus non diſtinguuntur corpuſculi membra, viſu tamen, oderatu, guſtatu, truculento, ſimilique ſonoro auricalcho fremitu pollet; quis adhuc & microſcopii adiuvamine talium ſenſationum organa in hoc animadvertit, quibus non ambigitur donatũ eſſe à Natura? Non benè igitur collineant, qui ſinè pulmone aere frui animalia non poſse autumant; eò vel maximè quod incompertum eſt adhùc inter phyſiologos, quem finem ſtatuerit reſpirationi Natura; an ut cùm aere, aliorum corporum effluviis pregnante, vivaciores ſpiritus ad cor ferantur, an ut aere ſe ſe ſanguini

guini

guini inſinuante, ipſe ſanguis dilatetur, ſubtiliorque, & ſpirituoſior reddatur, an quia ſanguis, qui è dextero cordis ventriculo prefervidus, ideòque nimis rarefactus in pulmonem delabitur, opus habet aliquantum frigiditate externi aeris denſari; quodlibet ex adductis in cauſa ſit, & quæ alia à phiſicis affertur, pleraque refragantur exempla Urinatorum, & longo tempore ſub aquis, & quidem ſinè reſpiratione, viventium; ut præter alia adducta ab Alexandro ab Alexandro in ſuis genialibus diebus, eſt illud à Joviano Pontano relatum cujuſdam Colæ, dicti vulgò Cola piſcis, qui ſpatia vitæ plus in aquis, quam in terris tranſegit; quique dicere ſolitus erat, ſi ab aquis abeſset diù, fore ut quaſi ducere vitam, aut reſpirare nequiret. In his hominibus rarefactio ſanguinis, ut vividior, & ſpirituoſior externo aere redderetur, ut vivere potuiſsent, neceſsarium opus erat Naturæ; quod opus certè in ipſis adimplebatur, ſi nō aeris attractione externi, quæ, ſaltem aliquorum judicio, ſub aquis nulla eſt; aliqua alia via, non dum explorata. Hoc dixi, ut oſtenderem, potuiſse aptè

Naturam, alio quam pulmonis inſtrumento, quibuſdam animalibus aeri vehiculum præparare. Autumo igitur, & non abs re, hoc Apulum inſectum, tametſi ſanguine, & pulmone careat, reſpirare, & ſi alia ratio non ſuppeditet, illa ſufficit, quod alimenta ſugat; & quidem, quare externos humores, quibus nutritur, & vivit, ab aliis corporibus ſugere poteſt, & non poteſt aerem, quem quodammodò ſugendo perfecta animalia in ſeipſis admittunt? Nec obſtat, quod Natura, cum nihil fruſtra moliatur, quibus ſanguis non ineſt, ut condenſetur, & fuliginoſis ſpiritibus ſpolietur, quæ aer externus præſtat, aerem conſultò denegaverit, quià cum in inſectibus prò ſanguine extent humores alii, quis ſcit, an ad iſtos percoquendos, depurandoſque, aeris attractio neceſsaria non ſit? Pragmatia hæc attractionis aptè perfici poteſt in inſectis iiſdemmet organis, quibus ſuctio ipſa humorum perficitur, fiſtuloſo ſcilicet aculeo illo, quo inſtructa ſunt; quæ fiſtula, quamquã in pleriſque entomatis, ut in culicibus, & muſcis, dum non ſugunt, tãquam in vagina in capite abdatur, ſeù

alibi, nihilominus extimum ejus foramen hiat ſemper, hocque perſpicuum eſt in ſuctorum humorum egeſtione hirudinum, quæ poſtquam multo ſanguine intumuerunt, ſtatim ac ſalis acrimonia, qua ſuxerunt parte tanguntur, ſanguinem totum evomunt.

Sed huic rei mihi immorandum non eſt. Redeo unde digreſsus ſum; ad os ſcilicet Phalangii, quod manifeſtè in ejus corpore non apparet. Cogitavi primò, illud adeſse in fundo forcipis ſuprà deſcriptæ; ſed pelliculam illam ſubalbidam, cui in inferiori ſua parte forceps ipſa nectitur, undèquaque clauſam, nullo per quam tenui foramine hiantem comperi; quapropter oris locum adeſse ſtatui, qua initium ſumunt commemorata brachia; ubi conſpicitur intercapedo quædam, in cujus fundo, & ſi oculis clare non patet foramen, quod in alvum ducit, extare cenſendum eſt; eò vel maximè, quod leviter acu illam partem me ſtimulante, & dilatante, quidam ſuccus albicans prodiit. Nec indagine hac contentus, ſæpius Phalangio noſtro, illiſque araneis intrà familiares parietes degẽtibus, & venatoribus illis muſca-

ſcarum, qui ſinè certa domo, telas fabricandi ignari, videntur circumire, ſolerter, aſtutè, fraudolěterque muſcas incurſando, prædam ultrò obtuli, quã arreptam unguiculis, pectori admoverunt. Et indè mihi inſuper hoc probatum fuit; quià forceps ipſa cum ſuis unguiculis immediatè ſuprà hanc partem inclinatur, quæ pars, & ipſa extrà ſcutum pectoris, ſuprà quod ſita eſt, aliquantulum erumpit, undè animal forcipem ipſam, in quà præda concluditur, contrahendo, perfectè, & adamuſſim prædam illi parti, in qua os adeſſe decrevi, admovet.

Ambigi poterit, num unguiculi ipſi, eò quià eorum acumina in viſcera prędæ introrũpũt, fiſtuloſi ſint, ipſaque introruptione, per ipſos ingrediatur ſuccus nutritius; at clarũ eſt, naturã, quę in ſe ipſos arcuatos, ſeſeq; mutuò reſpicientes illos efformavit, non ad alium finem, quam ad prædam vinciendam, tales unguiculos paraſſe; rectos quippè eos molita eſſet, quemadmodum ſuos aculeos canaliculatos habent culices, & muſcæ, cæteraquę entomata, quæ ſugendo aluntur, illoſque, peracta ſuctione, recondunt, quod

non

non evenit in Phalangii unguibus sẽper conſpicuis. Inſuper illa oſsea durities, qua ſolidantur; inæqualitas,qua mirè acuminantur, ubi deſinunt, & sẽſim magnitudine augentur, qua forcipi innectuntur, non benè fiſtulæ ſuctoriæ aptari poſsunt, quæ nec inæqualis, nec ſolida in aliis eſt. Cenſendum eſt igitur; ex ore jam dicto Phalangii evaginari durum illum, fiſtuloſumque acinacem, tabe infectum, qui in viſcera prædæ introrumpendo, vitam hauriat; in hoc ab unguiculis adiutum, qui prædam quodammodò terebrando, ſtrictimque comprimendo, ſuccum indè exprimunt. Et curiosè animadverti, quod ſicuti infantes, dum materna ubera ſugunt, manibus, natura docente, mammas agitant, comprimuntque, & pleraque animalia capitibus impingunt uberibus maternis, & equi, & vituli, & his ſimilia, ſtantibus matribus lactantia, & pleraque anterioribus pedibus ubera ſugendo pinſitant, exagitantque, ut feles, & canes, adhoc ut lac copioſius in mammas defluat; ità Phalangium noſtrum (& hoc idem, in omnibus alterius generis, & in araneis itidem animadvertitur)

ritur) brachiis ſuprà relatis, quibus ſugendo prædam amplectitur, prædã ipſam dimovet, agitat, nunc ſtrictius ori admovendo, nunc ſenſim removendo, ut facilius ſuccum exprimat.

Quando, & quanto tempore occuletur, & ubi; & an tunc alatur, & quomodò.

CAP. VI.

EX inſectis quædam brumali tempore intereunt, quædam in latebris abduntur; hoc noſtrum ex iſtis eſt; in ſuis quippè caveis truditur; & ut ab aeris inclementia ſe defendat, & à nivibus continuoque cadẽtibus pluviis, foramina cavearum fortitèr, validèque, ſtipulis, ac aranearũ telis compacto obturamento obtẽdit; quod aere externo, rerumque compingentium qualitate tam pertinaciter duratur, ut nec nive, cui longo tempore ſubeſt, nec aqua hybernali, qua aſſiduè perfunditur, molleſcat. Omne tempus, quod hiſce in ſpecubus tranſigit, dormiat, an vigilet, an potiùs torpeſcat ſemiſopitum, neſcirem aſtruere; certum

tum tamen eſt abſque exteriori, ſolidoque alimento ibi vivere, cum in talibus hypogæis, nihil reperiatur, quo judicari poſſit illud veſci.

Quomodò autem hoc, & nonnulla alia animalia tã diutiùs vegetare, & vivere abſque alimento queant, phiſiologia judicet, & implexam hanc difficultatem enodet; non enim ſufficit nuda adducta à Plinio ſinè probatione ratio, nullum animal venenatum fame, aut ſiti emori; nequè mentem pacat id, quod prò ratione aſſeritur, eo tempore, quo talia animalia abduntur, aut nullo, aut nimium remiſſo calore foveri, & quod nec recrementa ſanguinis, aut ſudoris tunc emittant à corporibus; aut quod naturaliter humoribus eo tempore magis diteſcant; ſerpentes quippè, terreſtres teſtudines, glireſque frigidiſſima, humectæque craſis animalia ſunt. His porrò rationibus facilè ſi quis volet, refragari poterit, leves quippè admodum ſunt. Cenſeo equidem, rem benè perpendendo, inter mirabiliora, & abditiora naturæ arcana, reponendã eſſe. Et ſanè aſſerere, quod tunc temporis talia animalia prorsùs non nutriantur, & ſimul

ſimul quod vivant, de quo non ambigitur, contrà communes Naturæ canones eſt ire; quandoquidem non ſolum animalia omnia, ſed & arbores, & plātæ abſq;magno, vel parvo pabulo jugiter à Terra ſuppeditato,ut areſcant neceſſe eſt;quæ omnia vegetabilia, & ſi aere glacie conſtipato, terræque poris contractis, non ubertim, ut in aliis anni partibus,humores ſugunt, tamen lentè ſugere perpetim cenſenda ſunt. Et quamquam traduces animadvertantur,qui in Terra defoſſi, abſque eo, quod radices fixerint, & lactare incipiant, inſitum illis à patre arbore vigorem, viriditatemque diutiùs oſtentent;non invenientur tamen, qui per ſex menſes, quibus relata animalia nutritione deſtituuntur,ea viriditate, qua decerpti fuerunt, vigeant, quemadmodum ipſa animalia vigent, imò pleraque magis eo tempore pinguia ſunt. Si fieri poſſet, ut aliquandò cibo non indiga eſſent bruta certè,nèc vere, nèc eſtate tam impatienti fame efferveſcerent, ad quam ſedandam ultrò mortis periculis obvia fiunt, tantaque ſolertia, calliditate, fraudolentiaque ad cibos ſibi parandos utuntur,

& ſi

& ſi eſca deficit, intereunt. Abs re aſſeritur, quod tempore latitationis lentè, & remiſsè nutriantur, eò quià frigiditate externi aeris attenuatur nimium, notabiliterq; remittitur calor ille genuinus, congenituſque, diſſolutioni ciborum inſerviens (ſi tamen calore illo peragitur pragmatia digeſtionis) & quid aliud ſit nō immoror, cibos nutritioni aptans. Primò quippè negarem attenuari calorem in dictis latitantibus animalibus; eo quod extrinſecus frigidus aer antiperiſtica vi calorem in caveis propellit, in quibus degunt. At attenuetur; certè prorſus non deperit, vivunt enim, cum vita nonniſi in calore, ſeù flammula quadam puriſſima, juxta probabilem aliquorum phyſiologorum ſententiā, conſiſtat; & quo alimento tenuis calor iſte perſeverat? Imò, eò vel maximè res admirationem ingerere debet, quod pertenuis calor faciliùs brevi incommodo extinguitur; quomodò igitur tam longa inedia ſemper in ſua tenuitate immutabiliter perſiſtit? ſaltem danda eſſet tali remiſſo calori proportionalis nutritio (pari modo philoſophandum eſt, ſi cauſa ciborum

diſ-

diſſolutionis ſit humor acidus, aut fermentaceus, qui in nihil agere nequit, & ſi ad momentũ non agit, deperit) At quæ illa erit eſca? nõ iiſdémet humoribus in toto corpore diffuſis nutriri poſſe dicendum eſt; malignè enim cũ iſtis ſe geſſiſſet Natura, ſi, ad hoc ut viverent, ſua ſe vita, ut veſcerentur, diſpoſuiſſet; nec ipſa animalia vellent ſenſim deficere; ſemetipſa depaſcendo, & ſiquidẽ tam providam ſe in formicis oſtendit, quibus frumentariam ſe præbet, quarè iſta tanquam odioſa noverca dereliquit? At ſuorum corporum humores depaſcantur; certè ſaltem ſenſim abſumi deberent, ità ut tempore, quo è caveis exiliunt, flaccida, extenuata, & penè arida omninò apparerent; ſed hoc non evenit, cum aliqua, & forſan omnia corpulentiora, & pinguiora erumpant.

Statuendum, igitur mihi videtur, talia animalia abſque jugi alimento in caveis brumali tempore non degere, ſed quia nullo ſenſibili comperiuntur cibo uti, vicem alimenti adimplere autumo tepidos Terræ halitus, quos reſpiratione jugiter ſorbent, quibuſq; nutriuntur, & vivunt. Et planè credibilius

bilius eſt, imò nec novum, nec incongruum, animal ſuffitu aliquo, & odore, quam abſque omninò cibo vivere. Eò vel maximè, quod multa in Natura experimēta talis nutritionis habemus, non ſolum in brutis, ut fertur de Chamaleonte, & Salamandra (ſi tamen de his vera narrantur) ſed & in hominibus quibuſdam; inter quos non recenſeo populos illos Aſthomos appellatos, Gangis margines incolentes, quos Plinius, & Strabo ſcribunt odore nutriri, hos libenter inter Chymeras repono, ſed veros non fictos homines; ut fuit Democritus apud Diogenem Laertium (ſi vera fama eſt) qui tepentis panis odore, & ſuffitu periturae vitae dies aliquot adiunxit; & Ariſtoteles, qui pariter neſcio quo ſuavi odore vitae terminos ampliavit. Aſtipulatur Medicorum Coriphaeus his exemplis, in libro de alimento dicens; *quicumque citiſſima indigent adiectione, humidum remedium reſumendis viribus optimum eſt; ubi autem adhùc otioſiores (ſicut in deliteſcentibus animalibus), per odoratum.* Sic pariter Pithagorici philoſophantur, odores ſcilicet nutritioni conferre;

quam-

quamquam Ariſtoteles huic refragetur opinioni, multas rationes agglomerando, quas retundere facilè quis poſſet, & ni ad alia properarem, ipſe perpenderem. Inter ipſas illa eſt, quæ probat, cibum animalium omnium ex pluribus compoſitum eſſe elementis; quià animalia ipſa ex quatuor pariter elementis compoſita ſunt,& unũquodque nutritur, ex quibus conſtat. Hoc quamquam verum ſit in validioribus ſtomachis, cibum pariter ſolidũ, miſtumque repoſcentibus, attamen ſenilia, & gracilia poſſunt ſufficienter compenſum recipere ab halitibus odorum, & ab aere ipſo, qui remiſſum calorem dictorum animalium, tempore, quo latent, fovere poteſt; certum quippè eſt talis nutritionis exempla pleraque extare ab Hiſtoriis relata, inter hæc eſt illud à Plutarco in vita Artaxerſis adductum, cujuſdam avis Rhynticen appellatæ, nullis recremẽtis in viſceribus refertæ, ſed pinguedine tantum, quo probari poterit illam vento, & rore ali. Admitto equidem mixtis, ſolidiſque cibis non utentibus recrementa non eſſe; & per hoc mihi probatum eſt, noſtrum Phalangium

ha-

halitu Terræ nutriri, ſicuti ſerpentes, aliaque talia animalia, eò quià tempore latitationis nulla fæculenta recrementa ſecernere compertum eſt, quæ non efficere potis eſt ſimplex ille, tenuis, ac penè ſpiritalis cibus. Verum ſit igitur id quod Alexander, & Nicolaus Peripatetici aſſerunt, ſpiritum nēpè vitalem, & animalem ideò nutriri tum odore, tum aere, quoniam uterq; mixtus eſt; quippè qui variis corporū effluviis imbuti ſunt, ideòque conformes, & utrumque hauſtum præcordia penetrare, atque inibi percoqui, & temperari ad vitam, & per arterias diffundi poteſt.

Hac philoſophandi ratione providentiæ naturæ conſulitur, de qua credere non fas eſt, dediſſe his animalibus ſolertiam, providunque ingeniū, ut ſibi caveas moliantur, nè frigore necarentur, & poſteà in illis ea obſigillaſſe, ut aut avarè, emoribundorum more, aut miraculosè alerentur.

Latet igitur, ut ad mea redeam, Phalangium tota Hyeme non ſolum, ſed & majori parte Autumni, & Veris; circà namque finem Octobris cōperiuntur reſignata ſpecuum foramina,

na, totoque Martio menſe clauſa, & ultrà ſi Cælum rigeſcere perſeverat. Dictis temporibus numquam apparet. Accidit aliquandò tamen, quod bubulci aratores terram illam longo tẽpore incultam, in qua dixi ſpecus illud moliri, vomeribus, tempore quo latent, laceſſant, & ſpecus ipſas devaſtent, & ad erumpendum ipſum compellant; at tunc torpens, ſemiſopitum, & quaſi incedere neſcium conſpicitur, nec tunc vulnera infligere poteſt; & ſi fortè extimulatum laceſſit quemquã, inſontem aculeum emittit. Ex hoc cenſeo tunc temporis veneno prorſus ipſum carere; quià nunquam experientia compertum eſt homines apulos Autumno, Hyeme, aut Vere ad ſaltus proſiliſſe, quod accidere debuiſset, ſi venenum tunc temporis contraxiſſent.

Quomodò autem eveniat, quod hoc entoma venenatam illam, genuinãque corporis temperiem dictis temporibus amittat, & illa, recurrente æſtate denuò ſe induat, variè quis ratiocinari poterit. Mihi videtur, non jam aliquandò conſopitum in illo eſſe venenum, quod recurrente aeris ca-

lore,

lore, excitetur; ſed cenſeo, penitùs in illo tùnc extinctum eſſe, quià non ità in noxiis, viroſiſque animalibus naturale, & congenitum eſſe tabificum humorem exiſtimandum eſt, ut ſinè ipſo aliquando vivere nequeant; ſed potiùs extrinſecis cauſis concurrentibus, adiuvante tamen naturali corporum diſpoſitione veneno infici. Venenum ſiquidem non eſt in Brutis, niſi ſuccus quidam acer, violentuſque, quo non nutriri ipſa cenſendum eſt, ſed inſici; quamquam tali infectione noxam non ſentiant, ſed ii, quorum in ſanguine effunditur, quibus tabes illa extranea, & contrà naturam eſt; nihilominùs experientia probatur, ipſa tempore, quo veneno pollent, ad iram procliviora evadere, levique moleſtia furere, ipſa ſcilicet dira qualitate extimulante. Itidem, adventitiam eſſe in animalibus venenatam tabem convincitur, animadvertendo, quod quædam ex ipſis nullo tempore innocua, aliquandò tamen concurrentibus extrinſecis cauſis, noxia, & venenata fiant. Canis ſiquidem innocens, fidele, & domeſticum alioqui animal, aliquandò tali noxio viru dentes imbutos habet, æſtivo

maximè tempore, quod ad maniacum furorem à ſe demorſos impellit ; Imò ſyrio in Cælo latrante, ſi Plinio credimus, canes rabidi ad mortem uſquè inevitabiliter quodcumque animal ab ipſis dente arreptum cogunt. Hoc idē poteſt, imò aſſolet aliquandò, & hominus contingere, qui multa ira,multoque furore exagitati, & in rabiem acti, virulentis morſibus alios neci tradidere ; quinimò fæmellam vidi immani rabie adverſus aliam efferveſcentem, quam poſt multa convicia in brachio demorſam intrà paucos dies enecavit. Præterquamquod in ſimilibus caſibus non ſolum perniciem affert tabes ex immoderata iræ excandeſcentia proveniens, dum in alios tranſit, ſed ipſi corpori, in quod ingeneratur exitialis eſt. Et tabificæ qualitates non ſolum, ſed etiam ſalutares in plantis nunc advenire, nunc recedere omnibus liquet;multæ ſiquidem ſtato tempore noxiæ, aliquandò inſontes ſunt, & quædam profiguæ ſua ſalubri virtute deſtituuntur. Ità de hac re opinari, eſt ſuæ concinnitati Naturam reponere; eò quià malè ſuis operibus conſuluiſſet, noxiam, diramque

que tabem in illis immediate ingenerando, & ut malum naturale eſſet efficiendo, cum Chryſippus, morbos, quibus paſſim homines affliĉtantur, dicat non eſſe κατὰ φυσιν, ideſt, ut exponit Celius, ex principali naturæ conſilio, ſed κατὰ παρακολουθήσιν ideſt, per ſequelam contingant.

De mole Corporis.

CAPVT VII.

Magnitudinis variæ conſpiciuntur Phalangia; exquè majori, vel minori foramine ſpecus colligitur, quantæ ſit molis, cùm ad corporis quantitatem illud moliatur; Rebar aliquandò non poſſe ſuum excreſcere corpuſculum, niſi ad nucis caſtaneæ magnitudinem, majus quippè non videram, & Natura cum omnibus corporibus modum, & terminum præſcribat, cenſui, majoris magnitudinis ipſum capax non eſſe. Hunc errorem dereliqui cum fortè fortunà quadam die per vicinos meæ patriæ campos diſcurrens, in campeſtre tuguriolo diverſatus ſum, in quo nonnullos

agreſtes homines, & bubulcos comperi, in gyrum circà modiolum (quæ menſura Apula eſt, vulgò dicta, *mezetto*) aſſidentes, & unum ipſorum muſicum, ſed agreſte inſtrumentum pulſantem, reliquoſque feſtivè,& cum riſu applaudentes. Me inter ipſos,materiam riſus, & plauſus dignoſcendi gratia, intrudo, & aſpicio, intrà modiolum illos poſuiſſe, in vicinis campeſtribus inventum, miræ magnitudinis Phalangium,pinguiori,& refertiori lanugine circumquaque indutum, & colore quidem,quo ſuprà deſcripſi, attamen maculæ ſuperfuſæ, & nigræ ſpiſſiores, & grandiores erant. Haud mirabar, quod ibi relatum inſtrumentum pulſabatur, quippè qui ſciebam quod eò credulitas ignara vulgarium Apuliæ hominum proceſſiſſet, ut credant pertinaciter,non ſolum à Phalangio demorſos ſonitu gaudere, ſed & Phalangium ipſum ſono cieri, & ad ſaltus quodammodò proſilire; & tunc prò certo habebant in modiolo illud choreas ducere, videntes eũ ſe in gyrum agere,& ſaltibus incedere; At hoc quod contingebat ob naturalem motum ipſius, quem propter crurum lõgi-

gitudinem ſaltando peragit; & tunc in modiolo circumcurſabat, ut aditum ad indè exeundum, ſi poſſet, ſibi aperiret, rebantur accidere ob illi inſitam à Natura proclivitatem ad tripudiandum; Mirabar equidem de ejus magnitudine, quam nèc antè, nèc poſt comperi.

Phalangia ætate grandeſcunt, at quià ætas inæqualis in omnibus eſt, non naturaliter, ſed caſu, & extrinſecis cauſis illa ad mortē præproperam impellentibus, ideò inæqualis corporo molis conſpiciuntur; quibus enim contingit, ut à clade, de qua mox dicam, eximantur, corpus pingueſcit; ſed quià pauca ſunt illa, pauca viſuntur ad tantam molem excreſcere. At quę grādiuſcula cernuntur ex fæminis Phalangiis ſunt, grandiori, pinguiorique alvo referta, maximè dum ovorum fætibus intumeſcunt, & paulò longioribus pedibus prædita, quam mares. At quantam ætatem vivant, ſtatui prò certo non poteſt, non ſolum ratione adducta, quià ſcilicet, plerumque non naturali morte intereunt, ſed & quià de hoc difficulter experimentum haberi poteſt. Illa quippè, quæ domi in aliquo

vaſe detinentur incluſa, certum eſt ad paucos dies vitam protrahere.

De ejus generationis Hiſtoria.

CAPVT VIII.

QUemadmodum locuſtæ, ſuperincubando coeunt, ſic & Phalangia mares ſuper fæminas, & non alia perſpicua nota ſexus dignoſcitur, quam quià pinguior alvus in fæminis eſt, ut dixi. Comperiuntur ſæpiùs per agros vectantes fæminas mares, & hoc evenit circà æſtivum ſolſtitium. Prægnantes matres prolificum ſemen non eodem tempore admittunt, dierum tamen diſcrimine. Menſe Auguſti, & Septembris animadvertuntur partim ova emiſiſſe, partim ſe ſe nigricantibus filiis induiſſe. Crederem igitur trium menſium ſpatio, & forſan minus ſemen in alvo percoqui, in ouumque tranſire. Æquantur locuſtis coitionis tempore, & dum illæ ſpinæ fætoſam caulem in Terra demittunt, tunc temporis & iſta ſua pariunt ova, quæ, non ſuperveniente vere, ſicut in illis, animantur, ſed in fine æſtatis. Pariunt

por-

porrò Phalangia ex eodem ſpinæ caule, quo locuſtæ, è cujus extremo foramine, quod ad cuſpidis inſtar acuminatur, ova in quodam candicante, rotundoque involucro clauſa, ſubtiliſſimis arenearum filis compacto, tamquam in tenui membrana cōdita ſunt, quam globoſam membranam, aliquot diebus extremitati ſuperiori ipſius cauli incumbentem, & innexam ſecum matres bajulant; ſicque multoties videndas per campeſtria ſe præbent; & villici dum eas hujuſmodi ſuorum fætuum onuſtas comperiunt, matribus interfectis, membranam aperiunt, ex qua quandoque ſemianimata erumpunt ova, ſenſim, & penè inſenſibili motu ſe moventia, media figura inter ova, & rudimenta Phalangiorum, quæ tandem, pedibus attrita, neci dant. Dato tamen naturali tempore fætuum eruptioni, ex illa membrana, tenui, ægreque ſenſibili foramine facto, Phalangiola incredibili quantitate diſſultant, motu, & propria figura, adhùc rudi tamen, perſpicua, & tunc penitùs nigrant. Eruptio iſthæc aliquandò in caveis ipſis evenit, aliquandò per agros; ſæpè quippè per campos diſſemi-

minatos membranoſos globulos reperiunt Apuli, & ſæpè arantibus ruricolis, & ipſorum caveas funditus depopulantibus, è terra emergunt; eorum rotunditate ſic incolumi remanente; ut ovorum pleni primo cenſeantur aſpectu; ideòque aſſerui è tenuiſſimo foramine, rotunditatem non deturpante Phalangiola diſſilire.

Erupta Phalangiola protinus in matrem inſiliunt magno numero, & acervatim circumquaquè illam ambiunt, & quodammodò ſeipſis veſtiũt; denſius tamen coagmentantur in clunibus. Sic illa ſuis circumdata fætibus quandoquè conſpicitur, & putares exultabunda, ni hominum inculumitati conſulente Natura, nè tam dira, ubertoſaque illuvies, ad ipſorum perniciem nata, inevitabiliter graſſetur, novo, inuſitato, & quodammodò præpoſtero providentiæ ordine in hoc ſe gereret. Quid enim mali non eveniret Apulis, quo in loco ſe ſe incolumes agnoſcerent, ſi per agros diffuſa latè affluens hæc tabes circumcurſare ſineretur? Huic malo occurrit Natura, diſponens, ut agmen illud innumerabilium propemodum Phalagiorum,

adhùc

adhùc neſciens, & impotens vitæ ſibi conſulere, victum aliundè captando, totum incumbat matri, non ut vehatur, ſed ut ejus vita exaturetur; avidè quippè, & impiè tunc totum prorſus, quem in maternis viſceribus, totoque in corpore humorem reperit, exorbet, uſquequò illa ſenſim ſuo, quo virebat ſanguine deſtituta, marceſcens arida penitùs, externa effigie incolumi remanente, tamquam filiorum impietatis trophæum, in campo extinctam conſpiciendam ſe præbet. Enecta tam ſceleſtè matre, tam impio facinore rabida filiorum fames haud expleta, ad immanius flagitium progreditur. Eò quià Phalangiola grandiuſculiora alia aliis ſunt, nec adhùc venationibus apta, ex parentis exhauſtę cadavere diſſilientia, in ſe ipſa, fame extimulante rabidè incurrunt, & altero ſuper alterum incubante, quod viribus, & magnitudine pollet, aliud exorbet, exanimatque; ſicque parricidiis unumquodque alimonias captando, ex tam numeroſo agmine, tantum illa ſuperſtites ſunt, quæ paribus viribus certantia ſibi invicem inferre noxam non poſſunt. Quæ tandem reliquiæ ad per-

parvum numerum redactæ diſſociantur,& unumquodque Phalangiorum aliundè ſibi eſcas parando, vitæ conſulit.

Fateor, me hoc totum didiciſſe à pleriſque alioqui probatæ honeſtatis, & fidei villicis, qui ruri incanuerunt, & ſæpius in illa clade conſpiciẽda ad multas horas ſeſe detentos eſſe, dixerunt; cumque pariter nonnulli bonæ ſortis homines, & morum gravitate ſpectabiles teſtatũ id fecerint, ſeſeque oculis captaſſe mihi retulerint; ipſe non tumultuario judicio nec ab re fide dignam hanc hiſtoriam reputo; quippè qui, aut caſu, aut deliberata curioſitate ductus, ut exploratè perciperem, & cognoſcerem ea, quæ de hoc inſecto aſtruere ſtatui, agros circumcurſando, plerumque comperi Phalangia in campo mortua, ſic tamẽ, ut primò crederem, ea vitam agere, adeò incolumis,& indeturpata extrinſeca eorum corporum figura erat; & cum ſecurè illis acceſſiſſem, manibus contrectaſſem, oculiſque luſtraſſem, arida prorſus, & emarcida comperi. Huic accedit, prò dictorum corrobo-

ra-

ratione, quod Phalangia ipſa paſſim ab omnibus Apulis ſuorum nigricantium filiorum onuſta circumcurſare, cernuntur; quapropter ad hoc ut tota verificetur hiſtoria, tantum requireretur, ut cladis, & mutuorum funerum incurſus non claudicet notitia, quæ ut ut ſufficienter alicui conteſtata non habeatur, Plinii aſtipulatio mutuari poteſt, in eandem ſententiam pedibus quodammodò euntis, dum ſic effatur. Phalangium in ipſo ſpecu incubat magno numero, qui ut emerſerit matrem conſumit, ſæpè & patrem, qui adiuvat incumbere:

Hoc quidem inconcinnum, improvidumque naturæ opus cenſeri poterit, quippè quæ, ſibi alioqui in omnibus prorſus ſemper ſimilis, unũquodque primum ſuæ vitæ diligentiſſimè conſulere diſponit, proximè ſuæ ſpeciei conſervationi. At hoc nullam admirationem ingerit, partum locuſtarum animadvertenti, quæ vehementi cupidine quodammodò illectæ ad ſuperſtitem prolem relinquendam, ſtato tempore naſcituram, mori certę, & paratæ, ſpinæ caulem in Terra demittunt, quo abiecto, emarcidæ, tabi-

dæ, & ſemimortuæ, paulò poſt, vermiculo in earum pectore innaſcente, illaſque præfocante, enecantur, ut quotannis à quoquam in noſtris Apulis planitiebus comperitur. Imò majoris cenſetur admirationis id, quod de Scorpione narratur à Plinio; (g) illud nempe inſectum poſtquã totã ſobolẽ abſumpſit, uno ſolertiori, & cautiori filio ſuperſtite, qui quodammodò de fraterna clade edoctus, ut impiæ parentis fami ſeſe ſubtrahat, in ipſius clunibus timidè abditur, in quibus & à morſu, & à diro aculeo tutus eſt, tãdem ab hoc, tanquam à fratrum juſto ultore, interfici.

Quandò, & quomodò virus effundat.

CAPUT IX.

TOta æſtate ictus hujus inſecti exitiales eſſe experimur; quià tunc temporis Phalangium præfervida venere agitur, & excandeſcit, tunc namquè coeunt, & ſicut prò comperto omnibus eſt, non ſolum animali vita-

vi-

(g) *Lib.* 11. *c.* 35.

viventia, ſed & vegetabilia, tempore quo amore extimulantur, quamquam alioqui mitia, & manſueta, ferociam, & quodammodò diram maniem aſſumunt, & ad iram procliviſſima, etiam nemine provocante, fiunt. Plantæ item omnes, & Arbores, quæ reliqua anni parte palato dulces, ſuaveſque ſunt, dum nihilominus fructus ſuos producunt, aut dum in proximo producturæ ſunt, cum tunc quodammodò naturali venere ebulliant, & ſuccus ille prolificus, & fæcundus in dilatatis tepore veris, venulis, per totum corpus illabitur, & ſerpit, exaſperaſcunt, ſuccoque inſuavi, & auſtero penitùs perfunduntur. Et homo ipſe, graſſante ſuis in præcordiis Venere, obnubilata mente ad vulnera, ad rixas levi de cauſa, feſtinat. Aut in cauſa ſit enormis æſtatis calor, qui per aridos Apuliæ cāpos, ſquallore penitùs ſuffuſos, major, intolerabiliorque, quàm alibi reperitur, quo calore nimio præcordia, ſpirabilique nexu quodammodò comprimente, aeremque externum ſpiſſante, anhelitum difficilem trahũt animalia. Hæc namque Regio radiorum ſolis inclementi perpendiculari

jaculatione penitùs obnoxia, quippè quæ nullis decurrentibus aquis madefacta, nullorum arborum umbris defenſa: varia inſectorum genera, nondum majori numero alit, & fovet, ſed moleſtiora hic, quàm alibi ſentiuntur. Hinc igitur accidere poteſt, ut calore ad impatientiam uſque, & iram Phalangia extimulante, interioreſque humores, aut nimium concoquendo, aut acri qualitate perfundendo, illorum ictus virulenti, & rabifici reddantur. Experimur enim & canes caloris impatientia faciliùs furere, rabidèque alios impetere, furoremque effundere morſu.

Mordendi ratio Phalangiorum eadem eſt, ac ſugendi, & omninò à vero deflectunt ii, qui ad virus ipſorum in ſanguine contrahendum ſufficere autumant ungulas geminas forcipis in cute infixas habuiſſe; nam quemadmodum ſuprà animadverti, cum non ſint ungulæ tales fiſtuloſæ, emittere nequeunt tabem, ſed tantum potis sũt vulnus per tenue infligere, puncturãque qualem acus, & ſanguineo rubore partem percuſſam inficere, aut ad sũmum ſanguinis guttam elicere, aut cu-

tem

tem cruĕtare; quemadmodum in ictis animadvertitur, in quibus nunc rubeſcit, nunc flaveſcit, nunc livore circumducitur cicatrix. Nec inſuper cenſeri debet, ungulas ipſas exitiali tabe infectas à natura productas, quandoquidem ſemper tales eſſe deberent, at Phalangia tantum æſtate venenum effundunt, aliis temporibus, ſi pungunt, innoxia ſunt. Et quià hoc falsum eſſe in Scorpionibus convincitur, qui forcipibus, quibus armantur, pariter acuminatis, & ſi utuntur dum feriunt, ipſorumq; aciem in cutem immittunt; non tamen ipſi in cauſa ſunt, quarè tabem effundunt; ſed eodem prorſus momento, quo forcipibus feriunt, inimicum verſus caudam flectunt, & ex ipſa aculeum fiſtuloſum erumpit, ex quo in cute immiſſo, læthalis tabes, ſub albido quodã humore contenta, ut Plinius adnotavit, erumpit. Ità prorſus de Phalangio dicendum eſt, quod eodem puncto temporis, quo ungulæ irrumpunt in cutem, ex ore aculeum fiſtula excavatum evaginat, ipſumque in cute infigendo, emittit virus. Non enim generaliter loquendo, contrahi in venis tabes poteſt, per hoc ſolum,

quod

quod cutis vulnere rumpitur, ſed oportet, ut ſaltem, quo rumpitur, inſtrumentum venenoſo infectum livore, & qualitate ſit, qua ſanguis tabeſiat; cum neque ſerpentes nudo dente inficiunt, & noxii ſunt, ſed quià ex dẽtium infictione ſequitur gengivarum preſſio, quæ lividæ, & gravidæ veneno ſunt, & ex ipſa preſſione venenum in vulnerata carne percolatur: aut quià dentes venenata ſaliva jugiter perfuſi ſunt; aut quià vulnus infligendo, iraexcandeſcunt, ſpirituſque tabidos efflant. Quemadmodum æſtate viget, & per Apuliæ campos tunc temporis Phalangium graditur, ità pariter dicto tempore ſolummodo morſu infeſto homines appetit. Emergit, ut dixi, ſole occiduo è ſua ſpecu, & gradiendo in vicinas areas divertitur, in quibus agreſtes homines ſuis operibus intenti morantur die, noctuque, & aut diſtentis palliis, & ſaccis nuda ſuper humo, aut ſupra tritici, & hordei acervos, aut palearum mõticulos procũbentes, ſomnum per brevem capiunt, & propter immoderatum calorem ſeminudi. Quos tunc plerumque Phalangium aggreditur, aut prædæ deſiderio, aut

quià

quià fortè dum ſuper aggeſtos volutantur ruſticolæ dormientes, illi moleſti ſunt, hos pungit, & inficit. Exiguæ item fortis fæminæ huic malo obnoxię quam maximè eſſe ſolent, quippè quæ per agros recolligunt à meſſoribus derelictas ſpicas, ex quibus manipulos compingunt, domũque important, ex quo fit plerumque, quod Phalangia aut quià inter manipulos abdita, domumque illata, ibi eas inficiant, aut quod in agriſmet eas morſu appetant. Aliquandò, ſed rarius nobiles viri appetuntur, qui & ſi per campeſtria diverſantur, interdiù ſolùm in agris moram faciunt; at plerumque accidit, ut paleæ è campo domos ipſorum inferantur in ſaccis, aut in curribus, in quibus, dum congeruntur, caſu Phalangia intruduntur, & ſimul domos importantur, quæ libertatem egrediẽdi nacta, per domos circumcurſant, & dominos feriunt.

Hæc quæ hactenus dicta ſunt de hoc inſecto, exiſtimo curioſitatem illorum, qui in peregrinis, longinquiſque Regionibus degunt explere poſſe; & forſan nil prætermiſſum eſt, quod ſciri poſſit, & debeat. Remanebat, ut hic

hic Phalangium appingerem; ſed quià in nonnullorum ſcriptorum libris appoſita ejus effigies cernitur, prò meliori duxi illud graphicè, membratimque deſcribere, ſicut feci; clarior quippè ejus notitia, & diſtinctior forſan ex ipſa deſcriptione reſultat; pictura ſiquidem mortuum Phalangium obiicere oculis potis eſt, at vivum hoc, ni fallor, & ſuis utens membris, deſcribendo, intellectui objeci.

DE

DE PHALANGIO APVLO

LIBER SECVNDVS.

De ejus qualitate Veneni.

CAP. I.

SCio Cardanum, (h) de hoc inſecto pauca loquentem, cenſere, ejus venenum natura frigidum eſſe, ab ipſoque demorſos, per lethargum ad mortem impellere; indè eſt, ait, quod ſaltatione, tubarum, alio-

(h) *Lib.9. de ſubtil.*

aliorumque muſicorum organorum ſtrepitu magis, quam ſonitu illis medetur; non quià talis vis muſicæ inſit, ſed quià ſonitu illo, ſtrepituque, ſomnus ab illis arcetur, & ſaltatione veternus diſcutiatur, ſimulque venenum, quod labore ſaltationis foras, aut per ſudores, aut inſenſibili tranſpiratione evaneſcit. At contrà hanc Cardani ſententiam (i) Scaliger ejus Antagoniſta rationabiliter, valideque inſurgit. Et quidem non facilè concederem, omne natura frigidum eſſe venenum; cum ut ad mortem animal impellatur, non magis enormis frigiditas, quam nimia caliditas in cauſa eſſe poſſit, dũ non magis ſanguinis coagulatio, à frigida rei qualitate proveniens, quam ipſius, ejuſque partium nimia diſſipatio, & rarefactio, quam calor producit, mortem inducere potis ſit. Abſque eo, quod evidens eſt, pleraque venena calidiſſima eſſe, & cãtharidibus cauſticam vim ineſſe, quę veſiculas excitant, dilacerantque. Dummodò enim verũ ſit, ſicuti revera eſt, venena, omneſq; animalium humores naturam, temperiemque cujuſcumque ſequi, cum non omnia

(i) *Exercit.* 285.

omnia venenata, & quomodocumque noxia animalia frigidioris, humectioriſque naturæ ſint, quemadmodum ſunt ſerpentes omnes, quorum frigidiſſima pariter cenſentur venena, ſed nonnulla ſicca,& calidiora,exiſtimandum potius ex iſtis eſſe Phalangia, cujus argumentum eſt cutis ipſorum ſicca, & quodammodo teſtacea, qua veſtiuntur, cum è contrà ſerpentium, mollis, lenis, & gratè frigeſcens cutis ſit; quapropter ab ipſis virus emiſſum calidiſſimum pariter cenſendum eſt.

Fallitur inſuper Cardanus aſtruẽs venenum Phalangii veternum inducere, qui fremitu cytharæ, & aliorum talium inſtrumentorum potius, quam numero, & melodia,diſcutiatur. Nam perſpicuum eſt,& omnibus Apulis prò comperto potiùs quamdam maniacã impatientiam ingenerare, obſtinatam vigiliam, & ſuſpirioſam ejulationem: ìtidem quià, dato quod veternum inducat, quarè potius ad illum diſcutiẽdum advocatur lenis, placidus, concinnus,& ad ſomnum potius ſtimulans muſicorum organorum concentus, quam fragor diſſonus, & ſtrepitoſus tubarum, & tympanorum,

ſed

Sed his non immoror; cum ex ef-fectibus veneni, quos recenſurus ſum, facilè pernoteſcere poterit ejus quali-tas, quæ calidiſſima meo judicio eſt, quod mihi probatur excandeſcentia illa nimia mentis, & corporis, qua perculſi laborant, igneq; intus æſtuãte; cujus ſignum ſunt enormes illæ, crebræque omnium membrorum ja-ctationes.

De effectibus Veneni.

C A P. II.

STatim ac à Phalangio icti, ejus ta-cti ſunt veneno, hoc per cutaneas venas, ejus canaliculato aculeo reſe-ratas, tranſiens, incredibili prorſus ce-leritate, & ex vena in venam irrum-pens, perquè eas ſerpens, ad fontem ipſum vitæ, & ſanguinis Cor tanquam fulmen ociſſimè illabitur. Et quidem nullum Viperæ, Aſpidis, aut cujusli-bet diri, noxiique animalis venenum tam citò internas inficit partes, ſuoſq; effectus patefacit. Cor ipſum, dira qualitate infectum, aut quià hæc co-gat circà ipſum ſanguinem, ejuſque cur-

curſus inhibeat, aut quià pluſquam opus ſit,iſtum fermentet, caloremque immoderatum ingeneret,quodammodò contrahitur, nec ſyſtolis, diaſtoliſque reciprocatione expedite uti poteſt.

Hinc in percuſſis difficilis,& gravis anhelitus; & ut ab illa preſſione gravi, qua ferè ſuffocari videntur ſeſe aliquantulum elevent, alta ſuſpiria ſæpius ex cordis penetralibus emittunt, quæ thoracem dilatant maxima vi,ſicque paulum,& ſi ad momentum, intimo alleviantur angore animi, & impatientia illa, qua aguntur; Cujus in cauſa, ut reor, eſt, quià ſanguis,qui reſpiratione libera, & expedita refrigerandus eſſet in corde,ad hoc ut non ſic rarefactus, & nimis fluens in pulmonem dilabatur,& ſpiritus diſſipentur; ſed ut ſeroſos, fuliginoſoſque halitus denſatione aliquali exprimere ex ſe poſſit (ſi tamen verum ſit, reſpirationem in animali talem uſum habere)hanc naturalem œconomiam inhibens venenum hoc, & rarefactus ejus vi æſtuoſa ſanguis, ac per hoc majoris molis effectus, non expeditè in ſiniſtrum cordis ventriculum,ut par eſ-

ſet,

ſet, irrumpit. Itemque ſuos fuliginoſos, & ſeroſos halitus retinens, volens natura, quo ad poteſt, illos expellere, nec viam aliam reperiens, illos, quos aliundè, & alio expellere ſolet, tranſmittit ad cerebrum, quod ab illis cõcuſſum, & agitatum, ad maniacos illos furores, & quodammodò extaſim truculentam, quæ ab omnibus animadvertuntur, impellitur, quapropter tamquam non fictæ Menades percuſſi, hùc, illùc, quaſi extrà ſe rapti, & ſeipſos fugere molientes, diſcurrunt.

Hi narrati hujus virus effectus tam extemplò manifeſtantur aliquandò, quod hominem animadverti interdiù in Area, in qua in tritico excoriando laborabat, à Phalangio percuſſum, cum quo nuper allocutus erã, ſanæ mentis homo, & ſui benè compos, ſubitoque animi angore correptum, gemebundum alto clamore vociferaſſe, auxiliumque ab aliis circumſtantibus ruſticis poſtulaſſe, qui ejus interni tunc doloris ignari, nec id quod erat excogitantes, querulos illius miſeri ejulatus, & alta ſuſpiria riſu, & plauſu feſtivo excipiebant, At poſtquam quantum jactus lapidis ſpa-

tii,

tii, quaſi panico timore correptus, lymphatus excurriſſet, ſuper faciem ſuam extemplo cæcidit, exanimi omninò ſimilis. Et quidem jam jam ſuum diem obibat, ni herus, à quo non longè procumbebat, accurrens, ſuſpicanſque id quod erat, tibicines cito acciviſſet, quorum modulis ſaltans, proindèque aliquantulum refocillatus domum ſuam advectus eſt.

Tam efficax, & unicum hoc ſoni remedium percuſſis eſt (ſaltem uſque ad hæc tempora, in quibus humana acies, doctorumque hominum pervigiles, ſedulæque inveſtigationes, nullum aliud excogitare potuerunt, quamquam improbo labore ſuper hāc pragmatiam plerique exſudaverint) ut tametſi percuſſi in lectulo decumbant ex ſenſus omninò, ad primum cytharæ crepitum, aliorumque muſicorum organorum, tamquam ex profundo læthargo evigilent; primò ſenſim ægra, & languentia ſuſpiria evomunt, flaccidum caput attollunt, attonitum, & quaſi nuper diſcuſſa vertigine. Indè, modulamine continuante, omnia excutiunt membra, agitantque; iis perſimiles, qui multa febre graſſan-

te, hac, illac per lectulum evolvuntur. Tandẽ pedibus, & ſi ægrè, inſiſtentes, concinnè, & aptè ad ſaltus irrumpunt, ſic ſono concordes, ut mirum ſit, rem maturè perpendenti, quomodò agreſtis homo, indecorus, urbanis actionibus prorſus ineptus, & ex vili plebe mulier (hominum genus, ut retuli, obnoxium tali plerumque labi) ſciant tam certa, & canonica circumactione, tantaque venuſtate non ſolum pedibus, ſed & omnibus aliis corporis mẽbris (quandoquidem omnia, ſaltem in aliquibus moventur, maximè manus, & capita) muſicas periodos ſaltando deſcribere.

De mira totius corporis, crebraque agitatione, ut hic aliquid dicam, ipſe nuper fæminam vidi, tali ſauciam veneno, quæ tamquam eſſet violenti febre delira, furibundis phantaſmatibus occupata, imò potiùs protervorũ demonum incurſione, & invaſione correpta, ad muſicorum organorum ſonitum, ità in concitatiſſimos ſaltus erumpebat, ſicque crebrerrima agitatione, caput præcipuè inter alia membra quaſſabat, circumagebatque, ut caput meum, & oculi, ipſa agitatione of-

offenſi, vertigine laborarent. Hæc mulier humilis ſuæ caſæ laqueari funem ſuſpenderat, cujus extremitates pendentes paulò ſuprà pavimentum in medio domus manibus tenaciter ſtringebat; & ſuprà funem ſeſe jecerat, totaque ipſi incumbebat, & pedibus in terram defixis, caput hinc indè, ultrò, citroque circumagebat, celeriter, furibundè, incompta capillis, flãmante vultu, oculiſque trucibus; ſic ut maximoperè intra memetipſum obſtupeſcerẽ, neſciebãq; quarè illa violenta, citaque capitis concuſſione, vertigine oborta, non vacillaret, & in terram nõ ſe deiiceret. Imò iſta agitatione, & incredibili labore, copioſo per totũ corpus, & caput maximè perfundebatur ſudore, & tandem enormi motu excandeſcens, anhelans currebat ad magnam pelvim aquæ plenam, ibi ad hoc opus ſuo juſſu paratam, in qua totum prorſus caput immergebat, uſquedum aquæ frigiditate conceptus capitis calor aliquantulum levabatur; & totum hoc multoties peragebat abſque aliquo ſui corporis nocumento, cui obnoxia certè eſſe debuerat, propter indiſcretum illum, ſubi-

bitaneumque tranſitum, & pororum corporis ob calorem nimium ab enormi motu excitatum hiantium, citiſſimam reſtrictionem.

Hos rabidos, & lymphatos effectus in aliis non animadverti; variãtur enim quaſi in unaquaque perſona; & hinc collegi (nec à verò aberrare me reor) hoc venenum craſim uniuſcujuſque corporis concomitari, in quibus diffunditur; ut ſi melancholia, bile, flegmate ſcateat corpus, his humoribus immixtum, illos fermentando, exaltando, ad proportionales effectus magis ſaucium impellit. Et quidem mulier illa, de qua nuper locutus ſum, Salentino ſub Cælo nata erat, & generaliter illius Terræ incolæ, ob ſpecialem climatis conſtitutionem, & forſan ob nimium ſolis ardorem, illas plagas percutientis immoderatè, calidiori temperie compacti ſunt, & nimia bile redundant, ut comperitur in qualicumque eorum corporum exercitatione, & in veloci, prompta, nimiaque dicacitate; qua omnia corporis, mentiſque exercitia impatientia quadam, petulantiaque exequuntur. Nec abſonum hoc eſt, & à veritate

aber-

aberrans, quod pleraque experimenta confirmant; videmus ſiquidem unà eademque febri laborantes alium extrà ſe rapi, & non benè ſui compotem eſſe, alium ſibi conſtantem, hunc loquacem, hunc taciturnum; imò lenta febri unum delirare, alterum tametſi gravi, mentem non amittere; cujus in cauſa, ni fallor eſt, quià uni bile redũdanti, bilis per febrem exaltatur, eamque accenſioni aptiorem, procliviorẽque, febris ipſa depaſcitur; in altero lento, & veternoſo phlegmate ſcatente febris vis, & calor retunditur, pigrèque illum conſumit.

Ex varietate igitur effectuum hujus veneni perperam plerique colligunt, impoſturam, commentitiam, fictamque muliercularum ægritudinẽ tabem eſſe. Non inficior tamen, mirũ maximoperè eſſe, cernere tam varios, enormes, nunc deridiculos, nunc funeſtos ſanguinolentoſque motus in ſauciis; & quam variis phantaſmatibus, nunc lætis, nunc truculentis agantur, & quam extraordinariis deſideriis ferveant. Quandoquidem aliqui ſunt, qui aquarum limpidarum aſpectu delectantur, & fontium artificialium

 ſuari

ſuavi cum fremitu in pelvi ſuppoſita cadentium; plerique viridibus foliis ex arboribus nuper decerptis, & hinc, indè diſpoſitis, ſic ut ſylvam quodammodò exprimant, gaudent; alii hos, alii illos colores in veſtibus, aut aliis in rebus amant, aut abhorrent; multi in actu ſaltationis magis exagitantur, & excandeſcunt, crebrioriquè motu moventur, & conſonum ſonum tali motui à Cythariſtis extorquent; alii compoſitè, lentius, & graviter tripudiant; alii genio martiali, & bellico efferveſcunt, enſeſque, & alia militaria expoſcunt inſtrumenta, quæ manibus geſtando, iis auras jlocalariter diverberant; non nulloſque vidi tympano bellico exultantes, maximè in Salentinis; & denique alia multa cernuntur, quæ ſigillatim recenſere longum eſſet; pleraque alia dicam, cum ad particularia ſauciorum exempla devenero.

Hæ unius rei multæ facies non arguunt, ut retuli, de impoſtura venenum hoc, quippè compertum eſt, unum, idemque venenum, & antidotum diſtinctis temporibus, & perſonis, varios, & aliquando contrarios ef-

effectus peperiſſe, deque hoc ſexcenta experimenta extant, medicis precipuè conſpicua, qui una,eademque medela, ſeù pharmaco, eodem tempore prò eadem corporis affectione adhibita, uni ſalutem contulerunt ſæpius, alteri nocuerunt; miſſa facio pleraquè uni animalium generi venena, alteri innoxia,ſeù proficua,nam Capræ,ait Laertius de ſceptica Pirronis diſſerens, virgulta alimento ſunt, homini autem amara, atque inſuavia; cicutam quoq; Coturnici nutrimentum,homini afferre perniciem. Ex hoc inferre ſuperſedeo, quemadmodum Septici philoſophantur, nullam rem in natura ſuapte vi talis, vel talis qualitatis eſſe; ſed quià cum variæ ſint animalium corporum craſes,imò & in dies quodammodò diverſimodè alterantur, levique causâ intrinſeca, ſeù extrinſeca aguntur, indè fit, ut pariter non ſolum variè à cibis, quibus nutriuntur, ſed ab extrinſecis objectis afficiantur. Res igitur omnes, quæ in corporibus recipiuntur, aut quod in illis ſuccus, humoreſve reperiant, attenuantes, extimulantes, & quomodocumque alterantes eorum qualitates, & energiam,

aut diverſitate temporum, ætatis, vario planetarum circumactu diverſimodè in inferioribus inſluentium; variè in nobis operantur.

Nec ſolum in corporibus, ſed & in Animæ pathematibus hoc comperitur; Illa quippè in ſuis deſideriis incõſtantiſſima eſt, non tamen ſua natura, ſed corporis annexione, in quò expeditè ſua nativa energia uti nequit, vinculis corporeis, quodammodò labefactata; & opus habet ut impreſſiones, in ſe ipſa à corpore mutuetur; quod cum varia organorum diſpoſitione coagmentetur, nunc hilaribus, nunc meſtis gaudet objectis.

Hactenus per tranſennam dicta, improbantes energiam hujus apuli veneni, valeant, & ſuperflua forſan ſunt; etenim quæ cernuntur in noſtris Tarantatis diverſitates effectuum, in unũ coeunt, nempè in ſaltibus, ad quos ſic extimulante veneno alacriter inſurgunt generaliter omnes, ut & tabe, flocceſcentes, ut dixi, & penè mortui, animales ſpiritus ad tactum Cytharæ extemplò non ſolum excitantur, ſed & ad ſuas periciloſes novo robore, induti redeunt, itaut in longo, & agita-

tatiſſimo totius corporis motu, quiquemlibet lacertoſum, validumque laſſaret, ipſi pertinaciter perdurent.

Quarè autem in quibuſdam violentius, & fortius venenum operatur ſuos effectus, ſegnius in aliis, eſſe in cauſa poteſt, quià alii ſanguine ſpiritibus copioſius referto, ac per hoc magis fluido vivunt; qui, veneno adveniēte, majorē fluiditatem acquirit, proindeque immoderatè faciliùs ebullit, & in aliis tardiùs, & ſenſim venenum graſſatur, quià è contrariò phlegmate multo ſanguis in ipſis pigreſcit, quo veneni energia retunditur, & lentè in vitæ ſedem delabitur. Hi primò profundiſſima animi triſtitia laborant, thoracis anguſtia preſſi ſunt, magnoque clamore, vique maxima ſuſpiria emittunt; quapropter ſæpè contigit, ut arctatione ſpirituum, in cordis penatralibus frementium, eruptionemq; molientium, nimium excandeſcens circa precordia ſanguis, in febrim accendatur, quæ ſuppeditante continuo calorem tabe, eò brevi devenit, ut ni promptè medela ſonitus accurrat, quaſi præfocati jugulorum obſeratione emoriuntur, ſicuti aliquoties acci-

dit,cum in pleriſque iſtorum nulla hu-
jus veneni ſuſpicio extitiſſet, & ad alia
pharmaca recurſus habitus à medicis
fuiſſet. Præter ſonum,morbus hic prę-
cipuè in animi pathematibus, & in
male affecta, depravataque phantaſia
fundatur, quæ mæſtis imaginibus, lu-
ctuoſiſque larvis, ſedem animæ obnu-
bilantibus, ſemper affligitur. Quæ pa-
themata medicinæ artis pharmacis, &
amuletis intra corpora receptis rarò
ad tonum, & canonem revocari poſ-
ſunt; hoc quippè facilius obtineri po-
terit, ſenſibus exterioribus objecta il-
lis pathematibus contraria proponen-
do, quæ animum effrænem mulcere
poſſunt, undè ſenſim in ſeipſum rediēs
rationabiliter, & ordinatè odio, amo-
re,ſpe,& timore ducatur.Ex hoc fit,ut
ſono hilari, ſaltante, concitato, colo-
rum venuſtate, & jucunditate,viſuque
gratorum, aliiſque lætioribus objectis
gaudent, quæ forſan partim ſauciis
medentur.

Mos eſt item tarantatis poſt Pha-
langii morſum,ſeù poſtquam ſaltatio-
nem incæperunt, per tres continuos
dies ſaltationi vacare; quo tempore
paulatim anguſtia illa interna, reſpi-

ran-

randique difficultate, qua angebantur, levantur, uſquequò tandem, illo ſpatio emenſo, omni veneni noxa diſcuſſa, prorſus liberi, incolumes, ac ſi nullo unquam morbo affecti fuiſſent, remanent; illoque habitu corporis, & animi ſeſe induunt, quò ante morbū induebantur. Quod equidem mirum valdè eſt, & in nullis aliis corporis affectionibus animadvertitur; omnes quippè ægritudines, poſtquam à corporibus ſeceſſerunt, enervia, ac flacceſcentia corpora relinquunt; faciem emunctam, pallore oblitam, languidos, & ſua virtute deſtitutos oculos, ſtomachum languentem, & inertem, totumque viribus effætum; quæ ſenſim damna multo tempore reparātur, & exacta victus regula. Imò omnia precipuè venena, hoc excepto, quamquam potentibus antidotis devicta, taliter corpora afficiunt, ut in pleriſque macies uſque ad mortem perduret. Et tamen ſic motu, & ſonitu noſtri Tarantati ſanitati redditur, ut ferè miraculo adſcribi debeat, quod homo nuper tam maximis corporis, & animi angoribus diſcruciatus, tam brevi tempore perfectè, nullo mali ve-

ſtigio remanente, convaleſcat.

Quamquam nihilominus icti poſt trium dierum ſaltationem incolumes evadant, recurrente tamen anni tempore, quo virus contraxerunt, ad priſtina ſymptomata redeunt, atque prius angore preſſi decumbunt, & nidenuò ad ſaltus redeant, vitæ periculum obeunt. Hæc ſtabilis hujus morbi periodus (quod in hac pragmatia mirabilius, & inveſtigatione dignius cēſeo) aliquorum annorum ſpatio circumſcribitur; quod temporis ſpatium definire nequeo: ſiquidem inequale in unoquoque ex tarantatis conſpicitur. Hoc tamen certè evenire animadvertitur, quod annorum decurſu attenuatur ſenſim, & retunditur energia veneni, & fermenta ipſius quodammodò diſſipantur, & ſemina virus, ut ità dicam, quæ in ſanguine circumcurſant, evolant, uſquequò gradatim omninò evaneſcant.

Modulus ſonitus, à quo Tarantati excitantur, & extimulantur, velox, & concitatus eſt, violentiæ virus reſpondens, & qui in illis Regionibus vulgò appellatur, *Tarantella*, nomen à Tarantula mutuatur, quià plerumq; huic

huic malo inſervit; non ſic tamen ut aliquandò alia modulatione non utantur, at ſi utuntur, illa concitata pariter eſt, & numquam animadverti alio, quam concitato ſonitu, iſtos choreas agere; & dum magis ſaltando efferveſcunt, nutibus, & acceleratione motus pedum, aliorumque membrorum, poſtulant, ut concitatiori, velocioriq; modulo ſonus incedat. Statim ac ad modulationem muſica organa erumpunt, ægri altius, clamantiuſque ſuſpirant, & majori quam anteà impatientia torquentur, vim veneni ipſo ſono excitante, & oculis, maxilliſque igneſcentibus, ſolutis, fractiſque inceſſibus prius moventur, indè ad ſaltus agiles erumpunt. Si aliquandò evenit, quod muſica inſtrumenta, crebri cordarum jactatione, diſſona evadant; quod evenit ſæpius, aut quod earum pulſatores, vel quià chordæ rumpantur, vel quià pulſatione laſſentur, à ſono deſiſtant: tunc ac ſi fulmine improvisè tacti ſint, aut apoplectico ſymptomate, extemplò exanimis ſimiles, procumbunt; uſquequò ſonitu regrediente, vires reſumentes, ad ſaltus, nemine adjuvante, redeunt; & ſic,

quoad

quoad vires ſuppetunt, & membra laſſitudine, qua nimis tardè laborant, admotus prorſus inepta ſint, pertinaciter perdurant. Qui motus tam prolixus, concitatus, & laborioſus eſt, quod mirum certè ſit, poſſe hominē, antecedenti ægritudine, veneni cauſa contracta, imbecillem, & fœminā, ac quandoque puerum tenellum, tanto motui, & labori ſuccumbere, abſque eo quod ſpiritus animales, in muſculis irrumpentes, deficiant; quippè qui tribus, aut quatuor horis, & forſan amplius validè ſaltant ſinè interruptione, & aliquātula requie interpoſita, ſaltus adeò ſtrenuè reſumunt, ut diceres illos tunc primò ſaltus inire & tam pergratus illis, & mulcens ſonus eſt, & quaſi magica vi pollens, quod quandoque nolente natura, & decore, concinnate, ſerietate, & rubore repugnante, ab ipſo ad choreas impelluntur; ſiquidem homines animadvertuntur, ætate, moribus, generis nobilitate, ſtatu, dignitate fulgentes, graviſſimi, ſerii, morigerati, alieniſſimi, dum incolumes erant, non tantū à ſaltibus edēdis, ſed & à ſaltātibus aliis conſpiciēdis, qui tamē hac tabe infecti libē-

tiſſi-

tiſſimè, alacriter, & impatienter joculari manuum jactatione tripudiant, abſque eo quod talibus puerilibus, & muliebribus motibus erubeſcant. Undè, & ſi omne aliud deficeret, hoc ſolum, meo judicio, ſufficere poterit ad probandum tali revera qualitate, & vi phalangii venenum imbutum eſſe. Sed quià de hoc peculiaribus exemplis aliqua ſuo loco dicam, hæc ſufficiat dixiſſe, ad miram hujus veneni energiam prò nunc dignoſcendam.

Congruentibus rationibus oſtenditur, hoc venenum impoſturam non eſſe.

CAP. III.

Exiſtimo, mihi credendum eſſe, teſtanti, me non ſolum tenuis, ſimplicis, credulisque ingenii non eſſe, ſed & nimis tardè ad credendum meũ animum inducere iis, quæ ſenſibus exterioribus, ſæpè fallentibus, quamquam per ipſos experientiæ omnes habeantur, obiiciuntur; quippè qui mente penè ſceptica tam penſiculatè res omnes, tum morales, & politicas, cũ phy-

phyſicas perpendo, quod difficulter earum phænomenis decipior, & in dubiis magis ad non credendum, quam ad credendum ſe animus inclinat. Ex iis namque, quæ legi, didici, aut in ſcholis clamorosè, procaciterquè controvertuntur (quæ ſiquidem res eſt in Mundo tam clara, & evidens, de qua phyſiologi quæſtionem non faciant?) ſolum hanc collegi veritatem; omnia videlicet dubia cenſeri debere. Et tã & ſi verſatus profundè in phyſicis nõ ſim, & inani huic labori ſuccumbere aut renui, aut impos fui: nihilominùs exigua mentis capacitate, & ſolertia opus eſt ad hoc ut ſciatur, nihil in natura rerum certi compertum eſſe; & hoc ſolùm videntur aſtruere omnes philoſophorum ſcholæ, illa tam fluctuante opinionum varietate, quæ tãtum probat, aut quod omnes mentiũtur, aut ad minus, incertum eſſe, quod aſſerunt.

Quamquam tamen in tali ſim hæreſi, nihilominus in hàc Apuli Phalangii pragmatia, quodammodò cogor ſcepticam ambiguitatem exuere; quandoquidem tanta, & talia conſona cerno, quæ manifeſtè miram veneni

hujus

hujus qualitatem aſtruunt; non quod omnia, quæ in ſauciis noſtris conſpiciuntur, vera ſint, ſed quod verè ſonitus, & ſaltus medentur iis, qui verè tacti hac tabe ſunt.

Et fortaſſis, ut ad rem redeam, nulli magis, quam mihi in hac re juſtius, congruentiuſque fides danda eſt; quandoquidem exiſtimandum eſt, me perniciem exitialem, malumque meæ Patriæ, finitimorumque populorum narrantem, nolle, nec poſſe per hoc gloriam, decuſque captare, & ero quidem juſtus homo, qui, ut dicit ſapiens, in initio ſermonis accuſator eſt ſui. Potius, ſi vellem magis quam veritatẽ, & id quod verè in animo credo, honorem patriæ, & conſequenter meum ſectari, conarer externis populis ſaltem fidem facere, immunes à tanto malo has patrias eſſe plagas, quod faciliter forſan, & multo minore incommodo poſſem; cum ad præſens plerique reperiantur, non tam ex externis, quam ex indigenis, qui de hoc veneno ambigant; nec inficior, nulla ratione moti, quos nuper referam. At omni aliæ rei volens ipſe veritatem præferre, quemadmodum ingenuum hominem,

pre-

precipuèque ſcriptorem decet, nè poſteritas fraude circumveniatur, parum duco hanc notam patriæ inferre, qua revera injuſta eſt. Potero equidem, non abnuo, decipi in rationes hujuſce rei aſſignando, ſicuti pariter decepti ſunt, & in dies decipiuntur phyſiologi omnes, non in rerum phænomenis, quæ omnibus explorata ſunt, ſed in eorum cauſis; at certè in pura hiſtoria texenda nihil ex penu ingenii depromptum referam, ſed quæ tantis populorum millibus comperta ſunt. Hanc meam liberam proteſtationem, & ſinceram confeſſionem, tamquam prodromum rationibus libuit pręmittere, quæ conſideranti non parvi debet eſſe momenti. Sed ut ultra progrediar, animadverte prorſus incredibile eſſe, non unam, duas, aut tres Civitates, ſed tres per amplas Provincias huic malo obnoxias, & has numeroſiſſimis populis refertas, tam inter ſe conſonas ad mẽtiendum eſſe, & tam longo tempore immutabiliter extitiſſe, ut voluiſſent ſuo tam gravi damno hujus veneni effectus effingere; cum ſi una ex minimis philoſophiæ opinionibus, non dico tot homines, ſed milleſimam partem

tem illorum haberet, qui prò ipſa pugnarent, ſinè erroris ſuſpicione, à quo quam amplecti deberet. Cur ergò huic, non jam opinioni, ſed hiſtoriæ, cujus facta cernuntur oculis, manibus contrectantur, nimium ſubtilia ſcrupuloſaque refragantur ingenia, tantum quià ipſis rei momenta abſcondita ſunt?

Animadvertendum item eſt, tabem hanc ſecum paſſis afferre laborē nimium, expenſas aliquandò non exiguas, & pleriſque ruborem, & conditionis incōcinnitatem, & quodammodò dedecus, quibus voluntariè, & ſinè magna cauſa tot hominum millia ſuccumbere haud exiſtimandum eſt. Et labor quidem ex his, quæ ſuprà retuli, colligitur, qui tam inordinatus, & enormis eſt, ut naturali vi animadverſa, damna corpori, & ſaluti manifeſta inferre potis ſit, ni pariter levamen à veneno ſauciis conferret, & ni interna vi ineluctabili propemodum eveniret; precipuè autē moleſtiſſimus, & intolerabilis eſſet homini in delitiis, & otio enutrito, matronis, ſenibus, infantibus, qui omnes illi ſe ſubmittunt, impellente Phalangii viru. Item im-

pen-

penſas non mediocres, & moleſtas repoſcit; quippè tibicines,& cythariſtas ſauciorum conſanguinei mercede cōducunt, quibus ultrà diurnum, pactumque ſtipem, multa exculenta, & poculenta, ut jentent,& hilarius organa pulſent,donantur. Hinc homo exiguæ ſortis,qui ægrè aſſiduo manuum, & brachiorum labore neceſſaria ſibi vitæ parat, ut à tali levetur morbo, multoties, cum tanti non ſit familiaris ſuppellex, res uſui maximè neceſſarias, ut dictam mercedem perſolvat, oppignorat, aut vendere neceſsè habet. Huic ærumnæ neminem ſe exponere velle cenſendum eſt, ſi veneno aliter occurrere poſſet, aut niſi verè ab intrinſeco ſe ad ſaltus impelli ſentiret. Miſſa facio pleraque alia adminicula, & adiumenta, quibus ſaucii utuntur, vel ad animos triſtes levandos,& exhilarandos,dum actu ſaltant, vel quià aliquatenus illis opus habent; ut gratia exempli, artefactos fontes, ut dixi, limpidarum aquarum currentium, recurrentiumque, viridantibus frondibus, floribus,arboribuſque longè petitis obſitos,coronatoſque; puellulas nuptialibus, pompoſiſque veſtibus

bus indutas, quæ ſimul cum tarantatis choreas ducant; quæque ſaltu perdurante, eodemet modulo feſtivè concinant; ad parietes arma, ſeù aulæa verſicoloria appenſa; quæ omnia, & alia multa ſinè ſtipè non comparantur. Demum quid ſentiendum erit, quamquam nulla eſſent jam dicta, de rubore illo, quo perfunduntur honeſtarum, gentiliumque familiarum vultus, cum ipſarum aliquis ad joculares, & indecoros ſibi chorearum motus impellitur. Equidem gravitatem, ſerietatemque gentilitiã haud autumandum illos dedecorare quodãmodo velle, ſi nullum ſaluti adiumentum ex ſaltibus comperiſſent; nec credendum eſt, hos ſola vulgari opinione, & ſuperſtitione motos, qua exiſtimatur, ſaltibus veneno occurri debere, ſaltus inire; quippè non eadem mente, qua vulgus res ipſos perpendere, cenſendum eſt. Inſuper, quiſnam tam retuſi, aut pervicacis ingènii eſt, ut credat, tot hominũ millia, in tot ſeculorum decurſu deceptos ſemper fuiſſe, nullaque indagine uſos unquam ad veritatem enucleandam, & cum vidiſsent in ſe ſe hanc diram tabem commemoratis eſ-
fe-

ſectibus graſsari, ſegnes in re propria fuiſſe? Item & ex illis, qui hìc ut impoſturam hoc venenum rejecerunt, pleroſque agnovi, ad ſaltandum cum tarantatis à veneno coactos fuiſse.

Refragantium rationes proponuntur.

CAP. IV.

PLeræque difficultates afferri poſſunt, & afferuntur ad vulgarem, & communem fidem enervandam; quæ quidem floccipendendæ non ſunt.

Prima eſt; nullum apud antiquos Authores teſtimoniū extare, quod talē in rerū natura vēneni qualitatē aſſerat inveniri; ſiquidē certū eſt, quod in eorū ſcriptis adnotare hanc debuiſsent, cū res ſit hæc digna, ut poſteris demandetur, dignaq; admiratione; & nihilominus inter tot mira venenorū, quæ à ſcriptoribus narrātur, & forsā pleraq; fabuloſa, hoc prorſus non recenſetur. Et quidem ni fallor, nullus hiſtoriarū molitor (de iis loquor, qui multis ante actis ſæculis ſcripſerunt) de hoc veneno, aut alio, ſimili qualitate imbuto,

per-

pertractat. Vt enim de reliquis taceã, certum eſt, Plinium Secundum Italicũ ſcriptorem nullum de hoc verbum facere; & tamen peradmodum curioſus in ſcribendo, & exactè quidem, res naturales fuit, & mente, & calamo ſolerti exterarum Terrarum, longo intervallo ab his diſſitarum res rimatus eſt; accivitque notiones omnium quodammodò rerum, effectuumque Naturæ. Et levi incommodo hoc aſſequi potuit; quippè qui præpotens maximè apud Imperatorem Veſpaſianũ fuit, & ſuarum adminiſtrator rerum, & tunc, cùm per totum propemodum Mundum poteſtas Romani Imperatoris diffundebatur; hinc ea, qua pollebat auctoritate, & munere, quo fungebatur, cum variarum nationum populis effabatur, & ab ipſis uniuſcujuſque Regionis captare notitias poterat. Et nihilominus hanc tabem, ſibi proximam, intraque Italiam graſsantem, ſic prætermiſit, ut potiùs ignotum Italiæ Phalangium aſtruat. Nec exiſtimandum eſt, poſt Plinii tempora, talis craſis venenum repertum fuiſse, & Salios noſtros ad cytharam tam furiosè ſaltantes proceſſiſse; cum anno-

rum

rum decurſu res naturales non variantur, & prò confeſso tenendum eſt,hoc Phalangium in Apulis plagis ſemper idem extitiſse . Num dicendum erit vario Cæli , aſtrorumque circumactu naturam à ſui primordiis deſciviſse?

Secunda . Cur ſemper , aut plerumque evenit , ut ſolum homines è vulgi fæce,exiguæque conditionis,qui tacti hoc veneno cenſentur , ad ſaltus irrumpant, & per rarò ingenui, & nobilitate ſpectabiles ? Ignotum forſan eſt, homines nobiles univerſaliter in Apulia in agriculturæ arte ſe ſe exercere, qua omninò totam ſuam nobilitatem tuentur , & quam tali agreſti exercitio obnubilari non credunt; undè toto anni tempore ad ſua rura commeant , ibique diutius verſantur, & immorantur , aliquandoque inter Colonos agreſtibus exercitationibus inſiſtunt; & maximè aſſidui ruri adſunt æſtivo tempore , & dum ſegetes falce ſecantur , dum manipuli inſtruem coaptantur; dum pedibus boũ, aut equorum teruntur; dum trituratæ ſegetes , ventilabro in altum jactatæ decoriantur; dum triticum deportatur, in foſſiſque reconditur; quo tempo-

po-

pore Phalangia, ut perhibetur, veneno morſu inficiunt,& planities Apulæ ipſis ſcatent. Quarè ergò immunes ab ipſorum morſibus nobiles ſunt? & ſi morſi, cur ad ſaltum non currunt? forſan in nobili ſanguine vires non habent, aut nobiles reverentur?

Tertia. Hinc credendum eſt, ſaltationem hanc tempore æſtivo, primò ab ipſiſmet ruriculis introductam, aut jlocaliter, aut ad æſtivas meridianas moras fallendas; aut quià illo calore, penè intolerabili extimulati, ſicut animalia æſtro, quæ pariter æſtivo tempore, ab illo acta, per campos inordinatè, quodammodò phanatica feruntur, ad ſaltus impatienter irrumpunt. Et quidem naturale eſt, hominem, multa impatientia, seù ſtomacho laborantem, ad motùs, omniumque membrorum jactus proſilire. Indè eſt, quod in tota Apulia quam maximè, viri, & mulieres, quos decor nobilitatis, aut gradus non refrenat, abſque eo, quod à Phalangio tacti ſint, calore æſtivo ingruente, & urgente, turmatim, pulſu ſuorum ſtridentium tympanorum, parvis, conſertiſque ſiſtris refertorum, & laminis ſtanneis,

quibus maximè utuntur, aliorumque ruſticorum organorum, furioſè, quaſi lymphatici, coreas agunt, & eadem modulatione, dicta *tarantella*, qua in tarantatis, utuntur: ſicque interna illa agitatione, cerebrique quam maxima effervefcentia, aliqualiter levantur.

Igitur inter agreſtes homines relatis de cauſis primò ſaltatio introducta, in morem irrepſit; & ſentientes, ſe ſe non poſſe quodammodò cohiberi, quin ad ſaltationes tunc temporis procedant, ſeque alleviatos ſaltatione comperientes, opinati ſunt ſalutares dictis temporibus ſibi ipſis choreas eſſe, & propemodum neceſſarias. Et ultrà in opinando progredientes, nec ſtimulum illum internum, eſtuanſque ſaltandi deſiderium à nimio calore derivari poſſe credentes, quem impropriam, impertinentemque illius effectus cauſam exiſtimabant; dubitaverunt primò, num ab alia non naturali cauſa provenire potuiſſet; & proſpicientes die, noctuque ſemper circà ſe ſe Phalangia, opinati ſunt eorum tabificum morſum, cujus cicatricibus plerumque animadvertebant ſe perustos in carne, in cauſa eſſe, quarè in-

ſal-

ſaltus proſilire cogebantur. Et quià ſaltatione completa (quippè qui defatigati, & fracti jacebant, & conſequenter in ipſis debilitata, & effeta erat effervescentia, & ſanguinis ebullitio illa circà precordia, qua ante ſaltationem æſtuabant) impatientia, & furore levabantur, quæ in laſſo corpore locum non habent: hinc progreſſi ſunt ad credendum firmiter Phalangiorum morſibus ſaltatione mederi poſſe.

Quarta. Tametſi in confeſſo tenendum eſſet, ſonitu, & tripudio huic veneno occurrendum; cui nam uſui ſunt illæ tam variæ objectorum apparentiæ, quæ à tarantatis appetuntur; ità ut ſinè ipſis maximo torqueantur animi angore; ut ſunt verſicolores veſtes, viridantes arborum rami, aquæ limpidæ, bellicæ ſuppellectiles: quæ potius muliercularum deliramenta portendunt, aut juvenum jactabundo amore percitorum, ut ſic à concurrẽte turba conſpiciantur pompoſis referti indumentis, bellica munera probè obeuntes, alta ejulantes ſuſpiria, & languentibus, ac fractis motibus capitis, membrorumq; omnium nutantes; quæ

omnia potius amores, quam morbum ſpirant; item ſi mulier eſt, gaudet ſocios ad ſaltus juvenes aſcire: ſi juvenis, per pulcras, venuſtaſque puellas, quas morbi prætextu pertrectat, ſuoque arbitrio per manus apprehenſas ſecum circumagit.

Quinta. Multarum experientiarum teſtimonio convincitur, Phalangia Apula, à pleriſque curioſis hominibus, ut rei periculum fa cerent, carnibus plurimorum admota, illas quidem morſu forcipibus arripuiſſe, abſq; eo quod à Phalangio ictos ſe ſe animadverterent, nec tamen poſteà ad ſaltus proſiliiſſe, aut illa feciſſe, quæ fieri conſpiciuntur à noſtris tarantatis. Imò nonnullos honeſtos, dignoſque fide homines teſtatum facientes audivi, ſæpius nocte in medio Arearum ſe quieti dediſſe, & ſomno excuſſo, circumquaque à Phalangiis, veſtibus, & carnibus inhærentibus, obſitos ſe ſe comperiſſe, nec ab illis omninò læſos: aut ſi morſibus appetitos ad ſaltus non proſiliiſſe. Et nuper Neapoli Bibliopola quidam, accerſito ex Apulia Phalangio, pacta mercede, effecit, ut quemdam Medicum morderet in brachio

chio coram multis, ad experimentum concurſis;nec tamen aliud à morſu illi evenit, niſi penè inſenſibilis dolor in parte affecta, in qua per aliquot dies parvum ſtigma perduravit, nunc livore, nunc rubore circumductum; nec ſtimulum ad ſaltãdum ſenſit unquam, nec angorem, deliquiumque animi paſſus eſt, quemadmodum de Apulis perhibetur.

Sexta. Quamquã à Scriptoribus, pleræque circumferantur, & miræ venenorum qualitates,quibus variis antidotis accurritur; nemo,quod ſciam, refert ſeù veneno, ſeù morbo alicui ſonitum, ſaltumque mederi. Nam tametſi concedendum eſſet ad animi pathemata ſedanda muſicam valere poſſe, & ſonitu non ſolum homines, ſed & bruta animalia leniri,& cicurari ſolere; ad corporis tamen affectiones curandas, ſi phyſicè, & exactè res perpendatur, incongrua, & impropria eſt muſica, quæ ſuis numeris armonicis, quibus componitur, prout ſpiritualibus, corpora, quibus ineſt ægritudo, tangere nequit; & quamquam qnandoque animum ita levet, & extrà ſe rapiat, ut non ſentiantur

corporis incommoda, non efficit tamen, ut illa ceſſante, non redeant, & plerumque graviora.

Tandem aſſerta qualitate virus Phalangii, cui ſaltus, & ſonus medeãtur, certè Phyſica omnibus ſuis theoreſibus numquam ad credendum ſe inducet, quod veneno hoc ſemel ſonitu, & ſaltatione excuſso, ità ut obnoxii ſuæ prorſus incolumitati,& priſtinæ ſalutis ſtatui reſtituantur, ea tamen anni parte recurrente, qua venenum contractum fuit, abſque eo quod novum ictum patiantur homines,novumque venenum concipiant, denuò angore afficiantur, ad ſuſpiria redeãt, decumbant, ſonitum poſtulent, & ad ſaltus erumpant; & ſic per multos,indefinitoſque annos, ſemper in ſanguine illam tabem circumferentes, quæ dormitat in reliquis anni partibus. Quiſnam veneni energiam in corpore tunc temporis retundit,autenervat? quis ſoporem illi inducit, quis eam è ſomno excitat?

Alla-

Allatæ rationes retunduntur.

CAP. V.

EQuidem non paucæ,neque flocci-pendendæ difficultates in hac re, homines alioqui multa vi mentis prædito, tam ex indigenis, quam ex exteris, non tam ad ambigendum de hoc veneno,quan ad illud explodendum, coegerunt. Omnes tamen dubitationis nebulas, quoad poſſum, enodatione propoſitarum objectionum diſſipabo.

Ad priman igitur, dico, perpaucos quidem extare Authores, qui de hoc inſecto ſcripſere, & res credita eſt potiùs propter communia omniũ penè Apulorum dicteria in remotis regionibus per famam adducta, quam vi ſcriptorum probe ratiocinantium. Siquidem fateri cum adverſariis neceſſe eſt, antiquum non circumferri ſcriptorem,qui de hac qualitate veneni verba faciat; Ariſtoteles nãque qui lib.19.c.39.horum animalium hiſtoriã texit,quamquam plura Phalangiorum genera recenſeat, nullum ex illis hoc

veneno præditum novit. Plinius,ut retuli, lib. 29. cap. 4. multa numerat genera Phalangiorum, inter quæ noſtrũ non viſit. Aetius lib. 13. cap. 18. inter ſex illa genera Phalangiorum, de quibus loquitur, Apulum non adnotat. Nicander plura, quam alii genera Phalangiorum ſuis verſibus proſequitur, veneni qualitate diverſa, diverſaque ſymptomata ictibus inducentia, quæ partim noſtris aſſimilantur; attamen nullum ſaltationis effectum, cui muſica medeatur, parere aſſerit. Hæc de pervetuſtis ſcriptoribus, nam Alexander ab Alexandro, qui quarto decimo ſæculo floruit, non ſolum teſtẽ, ſed & ſpectatorem in Apulia ſe aſſerit noſtrorum tarantatorum, eaque omnia ſe vidiſſe, narrat, quæ nos suprà retulimus. Poſt ipſum Cardanus lib. 9. de ſubtilit. & Andreas Matthioli lib. 2. c. 57. in Dioſcor. non ſolum de Apulo Phalangio loquitur, eique, quam diximus veneni energiam tribuit, ſed & in ſuis maritimis Senenſibus, Tyrreno littori adiacentibus, & Romano in agro frequenter haberi Tarantulas, quamquam non ſicut in Apulia numeroſas aſſerit; & inſuper vim earum

mu-

muſicâ molliri teſtatur, ictoſque ad ſaltus, & tripudia proſilire, tibiarum, lyricorumque inſtrumentorum ſono adhibito, ſicque à languoribus ceſſare: tibicines ſtipendio conducere, aliaque omnia facere, quæ nos facere diximus. Non nullique alii, quamquam per tranſennam, idem aſſerunt.

Quarè autem nulla priſci illi Græci, & Latini ſcriptores de hoc veneno verba fecerint, plures eſſe cauſæ poſſunt. De Plinio, qui prout Italus, majorem in hoc admirationem ingerere debet, dici poterit, illum inter eos extitiſſe, qui nequeuntes ſibi perſuadere, quemadmodum mederi tabi, aut cuilibet aliæ corporis ægritudini ſonus, ſaltuſque poſſint, tamquam vulgi fabellam ea, quæ de noſtro Phalangio referuntur, deriſerunt, nec dignam, ut memoriæ mandetur, rem exiſtimarunt. Aut (quod veroſimilius fortaſſe eſt) dicendum erit, quod hujus inſecti virus, quamquam ſemper ejuſdem qualitatis extiterit, ſemperque in Apulia fuerint Phalangia, nihilominus retroactis ſæculis effectus illos, qui hodie cernuntur, non ſortiebatur. Neque hoc mirum videri debet;

ſiquidem certo certius eſt, multiplici, & indubitata experientia probatum, ac compertum, craſes humanorum corporum, ſicut ſiggillatim in dies, imò ad horas alterantur, ità ſæculorum decurſu generaliter immutatas eſſe, & currentem ad ſuum univerſalem interitum Mundum, in ſuis etiam membris viciſſitudines maximas, & mutationes pati neceſſe eſt, & in deterius labi. In ſuis quippè primordiis, longioribus, imò reſpectivè longiſſimis, melioribuſque annis humanæ vitæ termini claudebantur, at temporum lapſu ſic ipſa anguſtata eſt, ut mirum ſit nobis priſcos illos Patres tamdiù vixiſſe, & vivere potuiſse, quamquam certè tamdiù vixiſse, & ſacræ teſtantur paginæ, & rationes ſuppetunt validæ, quas apud Authores videre quiſque poterit, quarè ſcilicet hoc bonum illis contingebat; nempè, quià (ut principaliorem, & fundamentalem afferam) omnis natura à Deo bona, & perfecta creata fuit, non ſolum in internis animi motibns concinna, ſibi, veritatique conſona, ſed etiam in ſuis partibus materialibus, & corruptibilibus vegetior, & robuſtior, à qua duplici boni-
tate

tate ſua effreni intemperantia ſenſim deſcivit.

Præterquam quod, nonne viſum eſt, & quotidiè videmus, inter homines morbos graſsari, retroactis temporibus ignotos? Hoc notavit Seneca, qui proferens Hippocratis placitum, qui 6. ſentent. nec Eunuchos, nec fæminas podagra laborare aſserit, aut calvitie deturpari, tamen ſua tempeſtate, quod & nunc evenit, utrique malo obnoxios Eunuchos, & fæminas dicit, & cauſam affert, ob vitæ ſcilicet uſum laſciviorem, atque effervеſcentis luxuriæ æſtum, & ciborum illecebras. Hoc adnotavit & Plinius, dicens: ſenſit facies hominum novos, omnique ævo priori incognitos, non Italiæ modo, verum etiam univerſæ prope Europæ morbos; inter quos recenſet lichenem, ſeù mentagram, quæ tempore Tiberii Claudii in Italiam irrepſit, & carbúculum, l. Paulo, & Q. Martio Cenſor, & Elephantiaſim, quã antè Pompeii Magni ætatem, in Italiam nõ accidiſse refert. Si igitur temporum ſucceſsu, nova morborum genera in vitam humanam graſsantur, quemadmodum recentiſſimus ille,

Ollandis, conterminiſque populis patria lingua dictus Schorbutus, quo, omnium ſentina morborum, & Itali, aliique populi inficiuntur; liquet animalium corporum temperiem, aut vario aſtrorum, ſuperiorumque corporũ circumactu, aut intemperantia, novaque electione ciborum, aut alia de causa in dies alterari, & flaccescere. Hoc tamquam prò confeſso, & manifeſto habito; credi poterit ætate Plinii, & vetuſtioribus ſæculis, Apulos noſtros, tametſi à Phalangiis appetitos, ærumnas illas, quibus hodiè ſunt obnoxii, non ſenſiſse, aut quià validior, ſaniorque ſanguinis craſis veneni vim retundebat omninò, aut quià peſtiferam illuviem magna in parte vincebat, levique damno obnoxius erat, & tali, de quo ſcribere opus non fuit.

At quid ponderis Plinii ſilentium habere poterit contrà Phalangii Apuli virus, cum ipſæ ſupina ignorantia non dum non novit, ſed à tota prorſus Italia omnia Phalangiorum genera ejecit, quod an verum ſit, vel cæci teſtimonium perhibeant; cũ è contrà nõ tantum hoc, ſed & omnia alia Phalangiorum genera à Plinio recenſita, conſtans

ſtans opinio Andreæ Matthioli, & aliorum eſt, in Italia oriri. Aliorum pervetuſtorum hiſtoricorum ſilentiũ adducere, enervis admodum objectio eſt; quippè, quià nec illi omnia retulerunt, & permulta poſteris reliquerunt narranda, & perpendenda, imò & veriorem de eis ſententiam ferendam; nec omne, de quo effati ſunt, ſic eſſe, à recentioribus comperitur. Per pauci illi ſcriptores, qui de hoc loquuntur inſecto, & ſi non antiquitate ſpectabiles, non tamen in res naturæ cribrando; minus Plinio valent, nec minus indagine ſolertiores, judicioque cauti ſunt; cum hodie magis quam aliquandò, eò proceſſit humanorum ingeniorum prudens dexteritas, & ſagacitas, ut difficulter decipi poſſint, & nè decipiantur, potius ad prorſus negandas res dubias, quam ad dubitandum, adducũtur. Quod in Plinio, & aliis, qui rerum naturalium hiſtorias texuerunt, non animadvertitur; ipſis namque, ex omnibus, quæ referunt, pauciſſima ſunt illa, quæ comperta fuerunt. Cum igitur per pauci illi de hoc veneno non ambigant, & potius ad venandas rationes tam miræ rei jugiter deſudent, eorum aſ-

aſſertio, & authoritas ſilentio Plinii, aliorumque priſcorum ſcriptorum præferri par erit.

Ad ſecundum. Jam ſuprà recenſui, quare frequentius ex utroque ſexu inferioris notę homines tacti hoc veneno inveniũtur, & perrarò nobiles. Nec obſtat, quod Adverſarii aſſerunt, etiam ſcilicet ſpectabiles nobilitate homines ſua rura ſæpiùs inviſere, præcipuè tẽpore, quo Phalangia graſſantur; nam quamquam hoc verum ſit, tamen illi diù, noctuque non in medio procumbunt areæ, aut campis ſeminudi, quemadmodum agreſtes coloni, ſed per diẽ ſua negotia curant; at in die, ut retuli, & ſi è caveis Phalangia egrediantur, quod non ſic crebrò accidit: per noctẽ quippè frequentius circumcurſant: facilius declinare ea poſſunt. Nihilominus, & illi tuti non ſic ſunt, ut aliquandò ictus non ſentiant, & ad ſaltus, ſicut & ceteri non proſiliant, quod clareſcet, cum exempla tarantatorum adduxero.

Tertia objectio id ſtatuit factum fuiſſe, quod fieri poterat, abſque eo quod valida ratione ſtatuminet, ſic rẽ proceſſiſſe. Imò nec id, quod potuiſ-

ſe

ſe contingere probat, rationabiliter contingere poterat;quippè quià, licet in una, aut altera Civitate joculariter incipere poterit mos aliquis, qui longo temporis decurſu frequentatus, ſic radices figat, ut poſteri quodammodò illius religione teneantur, aut probrum ducant illum deſerere, quēadmodum eveniſse, & evenire ſæpius compertum eſt, tametſi mos ille irrationabilis, & illicitus ſit; tamen de ſono, & ſaltatione Apulorum tarantatorum, hoc exiſtimari non debet; quià illa non ſolum Apulis, ſed penè omnium nationum populis ſic familiaria ſunt, ut apud Romanos in Religionē ſaltationes ceſserunt; Saliorum namq; dignitas veneranda per Senatores, Imperatoreſque adminiſtrabatur; nec propter hoc ſaltationes, aut numini, aut morbo aſcribebant, ſed tantum animum relaxandi gratia, & ut lætanter grates redderent falſo Numini, exercebantur. Verum tamen eſt, profuſius, & intemperantius Apulos, quam alii forſan populi, ad ſaltus irrumpere, æſtivo maximè tempore, & per cōpita, & plateas lætanter circumcurſare tripudiantes; at tunc interna illa ani-

mæ anguſtia, & compreſſione, ceteriſque ſymptomatibus, quibus à Phalangiis appetiti vexantur, non aguntur.

Ad quartam. Præter ſonum, & ſaltum, ea omnia, quæ à tarantatis appetuntur, fateor nullam medelam principalius eorum morbo conferre; tamen quædam juvamina ſunt ad angorem internum molliendum; quippè cum id venenum, ut cenſeo, ea qualitate polleat, quæ melancholicum humorem in ſanguine, in quem ſerpit, fermentet, & exaltet, conſequenter fermentatum humorem illum in caput intorquet; cujus caligine ſedes rationis obnubilata, ſaucium in furorem agit, turbidiſque phantaſmatibus mētem replet; qua vexatione dum ſe æger exonerare cupit, illa externis sēſibus objecta expoſtulat, quæ hilaritate, & amenitate aliqualiter internam mæſtitiam levare poſsunt. Non inficias tamen eo, multoties illa objecta animi levitate expeti, & tunc contingit, quandò juvenis aliquis, aut muliercula, non vi veneni, quo tamen ſe affectat agi, ſed ſaltandi luxurie laborat; ex quibus in Apulia non pauci

cer-

cernuntur ; quorum nihilominus exẽpla veritati tarantatorum non derogant, quinimò nobis aſtipulantur; mẽdaces quippè, fictique tarantati non dicerentur tales, ni veri extarent.

Ad quintam. Fateor nonnullos morſu arripi poſse, & arreptos à Phalangiis fuiſse, abſque eo quod ad ſaltus vi veneni compellantur, aut ceteris ſymptomatibus obnoxii ſint; imò & pleroſque ſub noctu in campis procumbentes, ſummo mane, ſomno excuſso, circumquaque à Phalangiis obſeſsos ſeſe conſpexiſse, nec in aliqua corporis parte morſu infectos; & non nullos ſtigmate morſus inſignitos, nullum tamen languorẽ, aut ægritudinem contraxiſse. Priorum ratio eſse poteſt; quià aliquorum corporum compactio talis natura, & qualitate eſt, ut ab ipſis noxia animalia refugiant, aut & ſi obſident, dente non lædant, nec appetant, quemadmodum de Pſyllis, & Martiis plerique ſcriptores tradunt; & de Pſyllis ità inter alios refert Plutarchus in vita Catonis. *Mos verò illis* (Pſyllis) *fuit liberos genitos protinùs obiiciendi ſæviſſimis earum* (ſerpentiũ), *eoque genere pudicitiam conjugum*

ex-

experiendi, non profugientibus adulterino ſanguine natos ſerpentibus; & nobis oculis ſpectare ſæpiùs contigit cōplures alto ſomno oppreſsos in lecto multis cimicibus referto, & ab his fœdiſſimis animalibus circumquaque vallatos, qui tamen tamquam in illos inſilire non auderent, aut pertimeſcerent, innocui circumſtabant. Aliorum ratio eſt, præter adductam, quam & hic multum valere perſpicuum eſt; quià non omnia venenorum genera eandem energiam diverſis in corporibus exerunt; nonnulla aliquorum in ſanguine recepta, aut penitùs retunduntur, aut levem afferunt perniciem, aut necem moliuntur, aut in medelas cedere exploratum eſt; quæ omnia ſexcentis exemplis perſpicua ſunt, quibus non immoror. Pharmaca quidem, (idem de venenatis ſentiendum, & ratiocinandum eſt) ut retuli, non dum diverſis corporibus adhibita, ſed iiſdē, eadem ægritudine offenſis, nunc multum profuiſse, nunc parum, nunc nihil, & aliquando obfuiſse comperimus; quidquid in cauſa ſit, quod libēter phyſiologis, & medicis perpendendum relinquo. Certum tamen eſt

apud

apud omnes, hoc evenire ob variam humanorum corporum, & humorum texturam,& craſin, vel ad horam mutabilem. Exemplum allatum omnes hæ rationes retundere poſſunt; præterquamquod, quid mirum id Neapoli non accidiſſe, quod videmus in Apulia accidere? Phalangia quidem, & ſi alibi, ut omnibus exploratum eſt, repe riuntur, nullibi tamen illos, quos hic cernimus effectus pariunt; Nec convincit, phalangium illud ex Apulia accitum fuiſſe; quis enim ſcire poterit, num in tali tranſvectione, aut quià reſignatum per aliquod temporis ſpatium in vaſculo extiterit, proindè acrimoniam, & malignitatem genuinam virus amiſerit, aut quia extrà id tempus, quo ſolent cum pernicie in Apulia mordere, medicum illum demorſū fuiſſe contigerit. At quamquam nihil horum in cauſa incolumitatis domorſi ſit, quarè potius credendum non erit, alio illud ſub Cœlo tranſvectum, innocuum evaſiſſe? Equidem huic opinioni adſtipulatur Plinius, aſſerens ſcorpionem, alioquin venenatiſſimum animal, in Sicilia advectum, non ſolùm non mordere, ſed & mori exemplò, &

in

in Italia innocuum eſſe. Andreas Matthioli in Hetruria vidit à ſcorpionibus ictos ſæviſſima perpeſſos, & penè ad mortem reductos, at in agro Tridentino nil noxæ percepiſſe. Et inter ſexcentos Authores in eandem ſententiam pedibus euntes, Ariſtoteles lib.8. cap. 29. de animalium hiſtoria ſic refert. *Morſus bellnarum ex locorum diverſitate plurimum differunt; ut in Pharo, lociſque aliis ſcorpiones non lædunt; at in aliis locis, & præcipuè in Scythia multi, & magni nocui ſunt, & vel hominem, vel quamvis beſtiam percuſſerint, interimunt, nec ſues evadere poſſunt, quamquam ceteros virulentos ictus minimè ſentiunt.*

Sextæ, & ultimæ obiectioni obviabo, cum quoad potero rationes venabor, quomodò corpori tam maligna clade affecto muſica mederi poſſit, & quomodò ſemel excuſſum ſaltatione virus certis periodibus ad ſua ſymptomata redeat; quæ duæ res dignæ planè magis, quam aliæ multæ, hoc malum comitantes, animadverſione ſunt, & quæ ſolæ ea omnia, quæ de Phalangio Apulo circumferuntur, & aſpiciuntur, apud doctos exteros, & in-

di-

digenas faciunt, ut in controverſiam, & dubium vertantur. Et tametſi forſan minimè collineem, non propterea huic veneno fidem, quæ illi debetur, minuam, quam tam ſtabilis, & cõſtans exemplorum obſervatio firmat, & veritas in autopſia potiùs, quam in rationibus, & theoreſibus deprehenditur; quis namque huc uſque, vel unius naturæ operis veras, & infallibiles reddidit, & adinvenit rationes?

Quomodò poſſit huic malo muſicus ſonus mederi.

CAP. VI.

QUamquam motus deliberati rationalis animæ, nonniſi ab ipſius voluntate proveniant, & excitentur, cui vim facere, niſi Deus, nulla poteſt extrinſeca cauſa: qui tamen illam in ſua libertate, eadem benignitate, qua eam libertate inſignivit, relinquit, ut nec Dæmon, nec quęcumque alia creata ſubſtantia, & ſi ſuperior viribus, & natura, vires tales in illam exercere poſſit, ut velit, quandò non vult; & quamquam aliquandò cernimus, & ex-

perimur extrinſeca cauſa eam ad amã-dum, vel odio habendum quodammodò impelli; id quidem evenit, interna, & genuina ſua virtute inviolabili permanente, qua uti poterit, ſi velit; cum, ut Cicero aſſerit, à Platone edoctus (a) *animus ſemper agitetur, nec principium motus habeat, quod ipſe ſe movet, cum ſimplex animi natura ſit, neque habeat in ſe quidquam admixtũ diſpar ſui, atq; diſſimile.* Cum, inquã, hæc ſit animę natura; nihilominùs, quia corpori miſcetur, aliquid eam de ejus fece contrahere neceſſe eſt, corporiſque affectionibus obnoxiam eſſe, & vires ejus experiri, quorum continuo concuſſu labefactata, cedit; hinc fit, ut lumine, quo donata eſt, aut omninò, aut partim extincto, eò pergit, quò ſenſus corporis eam impellunt.

Voluntas igitur à brutis affectibus exagitatur, qui à diverſis extrinſecis cauſis alterari, excitarique poſſunt; quæ videlicet cauſæ ſunt forſan aſtra, dæmones, & præter hæc omnia, rerum naturalium obiecta, inter quæ præcipuum obtinent locum, colores, & ſonus; vimque efficaciorem habere viden-

a) *Lib. de ſeneƈt.*

dentur ad id præſtandum ; eò quia obiecta ſpiritualiorum corporis ſenſuum ſunt. De hoc nullus ambigit; quotidianis quippè exemplis firmatur, omniumque prorsùs philoſophorum authoritate teſtatum eſt. Sic Ariſtoteles lib.8.Polit.c.5. ſic Plat.Dial.6. de legib. præcipuè de vi, & effectibus muſicæ, aſſerunt hanc morum efformatricem, & imitatricem eſſe ; quin etiam barbarorũ animos, aut ad virtutem incendit, aut voluptatibus enervat, teſte Macrob. lib. 2. inſomn. Scip. c.3. Refert item Gal.lib.5. de Hippocr. & Plat. decretis, Damonem muſicum tibicinæ cuidam, quæ adoleſcentibus quibuſdam temulentis, & quædam inſana agentibus, phrygium canebat, ut mutaret rythmum phrygium in dorium juſſiſſe, quo facto, juvenes illos ſui compotes effectos, ab inſano impetu deſtitiſſe. Et addit inſuper illius mutationis cauſam; *Non enim* [dicens] *rationalis facultatis opiniones dedocere, ac mutare cantilenis valemus, ſed affectibus obnoxia animæ pars cum ſit irrationalis, ipſa ſanè motibus quibuſdam irrationabilibus, & exhortari, & ſedari poteſt; ita enim natura comparatum eſt*

ut

ut irrationalia ab irrationalibus, rationale à ſcientia,& inſcitia utilitatem,& detrimentum adipiſcantur. Perplura poſſent de hoc exempla recenſeri, ne de Terpandro dicam, tumultuantes Laconas muſica ad concordiam revocante; de Talete, peſtilentiam muſica fugante; de Agamemnone, citharedi arte honeſtatem uxoris tutante; de Spartanis, anapeſtico numero ſe ſe ad bellum extimulãtibus Miſſas facio itidem fabulas Orphæi, & Amphionis; hæc prorſus omnia in dubium revocẽtur; attamen teſtimonia ſacrarum litterarum certè non fallunt.hæc i.Reg. 16. Saulem arreptitium Davidicæ cytharæ percuſſu, non ſolùm angoribus, & furiis alleviatum,ſed & omninò incolumen redditum teſtantur. In quo exemplo naturalis omninò cenſenda eſt vis illa in ſono cytharæ, qua aut Dæmon compellebatur exire,aut à furiis quieſcere; ipſe namque,& ſi ſpiritualis ſubſtantia, nihilominus quia corporalibus inſtrumentis utebatur, ſuis motibus aptis, adveniente exinde muſica, organa illa corporis alterabãtur. Nomine organorum ſenſibilis corporis, intelligo ſpiritum, ſeù auram

illam

illam vitalem, qua mediante, motus omnes in corpore humano perficiuntur; ſicque Dæmon ſuis inſtrumentis deſtitutus, aut diſcedebat, aut à movendo ceſſabat. Vel dici poterit, Dæmonem, aut quamlibet aliam ſpiritualem ſubſtantiam creatam, non ſic eſſe corporis expertem, quemadmodum Deus, qui verè, & ſolus, ſicut ait Auguſt. propriè incorporeus cenſeri debeat.

Quibus verbis nolim ut Ariſtarchus aliquis laureolam in Muſtaceo quærens, eorum mihi imponat ſententiam, qui, ut ait Lorinus tom. 1. ſuper Pſalm. pag. 1020. numero ſatis multi, & authoritate non parum graves, Angelos, ac dæmones ſimpliciter corporeos poſuerunt. Quamvis enim probè ſciam ſententiam illam non continere errorē in fide, ut decernunt communiſſimè Theologi cum D. Thoma, qui etiam quæſt. de Dęmonibus art. 1. docet hanc quæſtionem non multum referre ad fidei Chriſtianæ doctrinam: *unde nemo Scolaſticorum* [verba ſunt Amici diſp. 3. de ſubſtant. Angel. ſect. 1.) *illam aſſeruit tanquam ad fidei dogma pertinentem, ſed ſolum ut certam ratione, & con-*

ſenſu Doctorum:quod etiam docuit Auguſt.lib. 21.*de Ciuit.cap.* 10. Immò nec diſplicuiſſe antiquis Eccleſiæ Patribus tum grecis,tum latinis magno numero relatis ab Authoribus, præcipuè Vaſquez , ac Suarez , inter quos referuntur Baſilius , Nanzianzenus , Cypr. Clem.Alex.Method.Euſeb.Caſſianus, Ambroſ.Juſtin.Martir, Aug. in multis locis,Rupertus,Tertul.aliique,quibus ex recentioribus adhærent Cardinalis Cajetanus,Eugubinus,Auguſtinus Niphus , & alii . Nihilominus cum oppoſita ſententia vigeat hodie in Eccleſia , nolo temere ab ea recedere , & fateor ſubſtantias ſpirituales abſolutè incorporeas.Dixi autem,non ſic tamen corporis expertes , *quemadmodum Deus*,deſignare volens,ſubſtãtias incorporeas creatas nullatenus pertingere ad illum ſpiritualitatis , atque impaſſibilitatis gradum, in quo eſt natura Divina , multoque magis ad materiam accedere , quam Deus, qui ſolus eſt actus puriſſimus , ac proinde à materia omni remotiſſimus . Quo modo etiam locutus eſt D.Ioan. Damaſc. lib. 2. de fid. cap. 3. ubi dicit: *Angelos eſſe materiales,ſi cum Deo comparentur,*
ut

ut & omne creatum;quem locum referens,& exponens D.Thom.qu.50.hæc habet: *Dicendum, quod ſubſtantiæ incorporeæ medium ſunt inter Deum, & creaturas corporeas: medium autem comparatum ad unum extremum, videtur alterum extremum, ſicut tepidum comparatum calido videtur frigidum: & hac ratione dicitur, quod Angeli Deo comparati ſunt materiales, & corporei, non quod in eis ſit aliquid de natura corporea*. In quo etiam ſenſu concludit D.Bern.ſer.6. in Cant. *Demus ergo ſecuri veram ſoli Deo ſicut immortalitatem, ita & incorporeitatem, quod ſolus ſpirituum corpoream naturam eouſque tranſcendat, ut quocumque corpore in quocumque opere non indigeat.* Docuerat enim ante, Angelos, & Dæmones ad aliquas operationes exercendas indigere corpore, ſaltem aſſumpto, quo nullatenus indiget Deus. Undè hæc qualiſcumque illa ſit corporalitas, aliquid,& à corpore pati poterit, & quis ſcit, an cytharæ Davidicæ ſonitu acta, Dæmonem compellebat aufugere, aut quieſcere? legitur quippè,Dæmones aliquarum rerum corporalium appetitu cieri, non ſolùm apud rerum

naturalium Scriptores, ſed & clarè ex ſacris libris colligitur; quænam enim eſt illa immundorum ſpirituum deambulatio per loca inaquoſa apud Evangeliſtam, ad requiem inveniendam, & ipſa non inventa, regreſſio ad locum, unde exierunt? quiſnam appetitus ille ſe ſe mittendi in porcorum corpora, & pleraque alia hujuſce rei exempla, quæ in ſacris Bibliis reperiuntur, niſi hujus veritatis aſtipulatio?

Hæc omnia vires muſicæ in nos aſtruere cogunt. Illa quippè animæ pars, quæ corporis regimini aſſidet, quemadmodum ejus ægritudinibus ſubditur, quæ animæ pathemata, ſeù perturbationes dicuntur, à corporalibus excitatæ, ſic etiam à corporalibus medelam percipere eam poſſe, æquum eſt arbitrari. Et adeò verum hoc eſt, quod & Deus ipſe, quamquam natura immutabilis, & impaſſibilis, nihilominus quatenus Mundi regimini concipitur præſidere, etiam extraneis, corporalibuſque rebus mutari dicitur, & animi perturbationibus obnoxius eſſe; legitur ſiquidem tot in ſacræ Scripturæ locis, hominum operibus nunc cōplacentia, & lætitia, nunc odio, ira, furo-

rore, & pœnitentia affectum fuiſſe; quæ propriè in Deo non cadunt, ſed metaphoricè, & quatenùs Mundum gubernat. Ità de anima rationali diſcurrendum eſt. At inter corporeas res, quæ validiùs, & magis perſpicuè in illam agunt, cenſenda quidem muſica eſt. Hinc philoſophorum nonnulli numeris muſicis ejus naturam compactam eſſe dixerunt, immò audet aſſerere Macrobius in ſomn. Scip. l. 1. c. 6. *quod nullus ſapientum, Animam ex Symphoniis quoque muſicis cōſtitiſſe dubitavit.* Cujus ſententiæ Princeps fuit Pythagoras, quo nemo clarius ex antiquis Philoſophis animæ immortalitatem docuit, nemo coſtantius aſſeruit, licet nō abſque intermixto perpetuæ tranſmigrationis errore. Plato etiam, immortalitatis animæ illuſtris propugnator, *numerum ſe moventē*; dixit illā; quod ſi verum eſt (neque enim hic ullius ſententiam ſtabilire intendo, ſed tantum ex aliorum relatis hypotheticè diſcurro] quid mirum, ſi ad numeros muſicos alternentur in ipſa affectus, & pathemata nunc læta, nunc triſtia? æquum eſt, accidere [pro certo ſumpto, quod unaquæque anima ſuo

peculiari numero polleat, & cēſeatur] ut quò magis extrinſeca modulatio ſuos numeros, correſpondentes animæ numeris retineat, & exprimat, eò gaudeat anima, extrà ſe ſuæ naturæ proportionem ſentiens; quemadmodum unuſquiſque naturaliter lætatur, ſui ſimilem extra ſe conſpiciendo, ex quo percharum amicitiæ vinculum ortum habet; & filii, quò magis ſimilitudinem patris præſeferunt, & in corporis lineamentis, & in moribus, eò intenſius à patre diliguntur, ita pariter, quò plus muſici numeri ab illis, quibus conſtat anima, longè abeunt, quaſi in diſſono plus triſtatur. Eadem ratione procedit deſiderium pulchritudinis; anima rationalis namque, perſpicuū eſt, quod in pulchrum feratur ex vi ſuæ naturæ, non alia cauſa, niſi quia ſuæ pulchritudinis conſcia, extrà ſe, quoad poteſt, ſui ſimilem quærit, ut diligat; & quamquam in ipſa obiectorum naturalium pulchritudine ſæpè decipiatur, deceptio tamen nonniſi à corpore, quo obnubilatur, variaque ſenſuum conſtructione oritur; quæ diverſa ſenſuum conſtructio efficit, ut quod uni eſt pulchrum, alteri non ſit; quemadmodum

non

non quælibet anima eodem numero muſico gaudet, imò & una triſtatur, in quo altera lætatur.

Ex quo habetur, credendum id, quod à pleriſque dicitur, nempè nonnullas corporis ægritudines muſica,& concentu ſanari, ut de Iſchiacis refert Gell. lib.4. cap. 13. quibus ſonus medetur, & viperæ veneno pariter muſica occurritur; idemque Author in libro. περιχοιμων ἤ λογικῶν κανων

Democriti, ſeù de peſtibus, vel rationalium regula inſcripto, aſſerit, ſe legiſſe, plurimis hominum morbis medicinam fuiſſe incentiones tibiarum,& concludit hoc epiphonemate rationem; *tanta prorsùs eſt affinitas corporis hominum mentibuſque,& propterea quoque vitiis, aut medelis animorum,& corporum*. Quis enim hominum hoc non experitur in ſemetipſo? quis animi perturbationes naſci,& mori non ſentit verbis, obiectorum occurſu, coloribus,& ſono, imò,& præproperas mortes indè obtigiſſe, quis neſcit? legatur Plin.lib.7.cap.87.Cic.1.Tuſcul.Valer. Max.lib.9.cap.12. & alii multi. Quod ſi pallor, animi dejectio, triſtitia, mors, corporearum ſubſtantiarum occurſu

accidere poſſunt: ita ſanitas, membrorum vegetatio, talium objectorum impreſſione efficiuntur. Nec ſolum vera, & extantia objecta corporea tantam vim in animam exercent, ſed & imaginata enecant aliquando; quemadmodum de Mileſiis virginibus refert Gell. lib. 15. c. 10. quæ phantaſtica illuſione actæ, vitam ſuſpendio finire elegerunt; quod relatus ſcriptor aſſerit, didiciſſe in libris Plut. περὶ ψυχῆς inſcriptis, in quibus philoſophus ille de morbis diſſerit, in animos hominũ incidentibus. Nos certe nulla cauſa, niſi tetra fuligine melancholici humoris forſan adactos, multos novimus à ſeipſis variè interemptos. Igitur ſi rerum objecta tantummodò in imaginativa facultate verſantia, ibique nata tales peperere effectus, quid ni poterit ſonus, qui quidem res eſt, mæſtos, ſeù jucundos in hominibus effectus producere? ſonum benè rem eſſe dixi, & quidem corpoream, contrà id, quod vulgarium turba philoſophorum aſtruit, & in hoc ſentiendum eſt cum Stoicis, vocem, corpus eſſe aſſerentibus, ut Gell. teſtatur lib. 15. c. 15., & cum Democrito, & Epicuro; neque

enim

enim ab incorporeo feriri poſſunt tam ſenſibiliter aures,quemadmodum vocis tinnitu feriuntur; cui opinioni videntur aſtipulari ſacræ litteræ 4. Reg. & aliis in locis,in quibus legitur, Deũ feciſſe verbum, quod qui audierit,tinnient aures ejus; tinnitus hic, ſeù concuſſio, & vibrationes auriũm nonniſi per corpus fieri poſſunt. His addo, quià cum perſpicuum ſit experientia, & ſuperiùs oſtendi, ſonum,ſeu vocem multam vim exercere in illam animæ partem, quæ corporis regimini præeſt, & huic tamquam ſuo immediato inſtrumento, ſeù organo quodammodo adhæreat pars illa ſubtiliſſima, & tenuiſſima corporis, quæ ſpiritus animalis vocatur, quo ipſa immediate ad ſua munia obeunda utitur, qui quemadmodum cenſetur, & eſt nobiliſſima totius corporis pars, ſic illa infima, & vilior animæ pars eſt; cumque occurſus externorum objectorum debeat aſſimilari in ſuo eſſe, & natura tali tenui ſpiritui, & hic nil aliud cum ſit, quam lucidum còrpus, pertenueq; & leviſſium, ex maxima, ultimaque ſanguinis decoctione, & deſæcatione, exque aere per reſpirationem attracto

proveniens, objectorum impreſſiones ſimililer rationem, naturamque corporis retinere debent, & ſi pertenuè, & leviſſimum, ſenſuſque noſtros fugiens corpus ſit; qui ſpiritus tinniens, ſeù quatiens dictam animæ partem, illam variè ſecundum quaſſionis diverſitatem, & variam talis ſpiritus naturam, & diſpoſitionem exagitat, diverſaſque perturbationes elicit; & ſic de occurſu objectorum in aliis corporis ſēſibus dicendum eſt. Hinc perſpicua colligitur ratio, de eo quod in nobis experimur, nempè quod talis numerus armoniæ, idemque rythmus hunc lætitia, illum mærore afficit, alium ad furorem, & iram incendit, hoc namque eadem ratione, qua in rebus, & ordinibus ſupernaturalibus, evenit; eadem quippè divina gratia in rationali anima diffuſa; illam in eiuſdem naturæ corpore, in quo intruſa in ſui primordiis fuit, relinquit, ſic ut eadem genuina craſi, & diſpoſitione corporis permanente, viam mandatorum Dei percurrit. Hinc fuit ille varius tenor vitæ Sanctorum, quorum aliqui corpora fuliginoſis melancholiæ humoribus ſcatentia nacti, per avia ſylva-

rum,

rum, & rupium juga ſalebroſa palantes, alii jucundæ indolis corpus ſortiti, in civili ſocietate degentes, Deo ſervierunt. Sic pariter de hoc veneno philoſophandum, quod tam varia deſideria animis ingerit, & ad tam varios actus impellit; quemadmodum enim corporis craſim non immutat gratia, ſed perficit, ita & hoc non immutat, ſed prædominantes in unoquoque corpore humores, quos invenit, exaltat, potentioreſque & acriores reddit; hinc amena, & viridantia obiecta, pulla goſſipia, enſes, ſanguis, & vulnera appetuntur, & tales appetitus ſic in affectis violentes, tenaces, & acres sũt, ut penè ad mortis anguſtias illos adigant, nõ tantũ ſi denegetur, ſed & ſi aſſecutio obiecti deſiderati differatur. De impatientia hac, præcipitique appetitu ſciſcitans aliquandò bonæ honeſtatis, & prudentiæ mulierem quamdam, quæ jam trium dierum ſaltatiône à moleſtiis veneni feriabatur, quidnam ſcilicet eſſet impulſus ille, quem in ſeipſa experiebatur, dum deſiderio fervebat, illam vel illam rem aſſequendi, ſeriò reſpondit, ſe expertam ſæpius fuiſſe ſimiles acerrimas, effrenataſque

cupiditates in pleriſque ſuis prægnationibus,quibus cenſebat poſſe conferri illas,quas in ſaltando patiebatur.

Satisfecit reſponſio, & adducta ſimilitudo; præcipuè dum addidit; eò quia in prægnationibus rectè ſui compos extiterit, benèque ſibi conſtaſſet, ideò, quod enixè tunc concupiverat, muliebri modeſtia, & decore repreſſa, & rationis adminiculo, & prudentia fulta, tam ardenter diſſimulabat appetere, internos animæ ſtimulos fallens; quod præſtare in maxima illa ſaltus exagitatione, & veneni excandeſcentia nequibat; cæterum, quemadmodũ violentia, & tenacitas appetitus in prægnationibus vim habuit ad imagines exoptati obiecti transfundendas, & imprimendas in nonnullorum ſuorum filiorum membris, quos talibus maculis fædatos mihi oſtendit, ſic præceps ille appetitus, qui dum ſaltationi incumbebat, naſcebatur, in ſua obnubilata imaginativa facultate adeò fortiter, & fixè imprimebatur, ut etiam optatæ rei mora eam ad furorem, & maniem agebat; cenſebat namque rem illam ſuæ ſaluti conducere, immò & perneceſſariam eſſe.

At ut redeam undè digreſſus ſũ, ad effectus nempè ſoni in tarantatis; videtur ſic ex nuper dictis ratiocinari nos poſſe. Habitus ille venenoſus, per virus phalangii in venis contractus, ſimul cum ſanguine in corpore circumvolvitur; ipſumque ſanguinem fermẽtat, ideoque rarefacit, ſuo forſan genuino, & enormi calore, quo pollet, ut dixi. Ipſa agitatione, & ebullitione ſanguis coanguſtatur in venis, undè affectis anhelitus difficultas, & præſocatio accidit. Advenit intereà ſonus, qui ſuo numero, & rythmo, quem dixi, cõcitatum, & præproperum ſanguinem adinveniens, & quodammodo per ſaltus procedentem, vel invitos ad ſaltus tarantatos proſilire facit, non ſolùm quia jam partes corporis internæ vi veneni in illo enormi motu inveniuntur, ſed & quia, ab illis internis anguſtiis, & ſpiritus contractione, quibus obnoxius eſt æger, levamen quærens, ad ſaltus currit; quemadmodum ſæpè animadvertimus homines violentos, & acri ira exagitatos, non ſolùm labia morſibus arripere, genibus, poplitibus, manibus, immò & totis membris tremere, nictare, ſed etiam inconcinno, ire-

re-

requieto, & indiſcreto motu deambulare;& infantes, quibus aliquod, quod poſtulant, denegatur,ira perciti, in terram ſe ſe proſternunt, volutantur, pedes, manus, & totum corpus quatiunt,eadem forſan ratione,quià nempè ſpiritus animales celeriorem motum ira nacti, ægrèque intra ſua clauſtra ſe continentes, naturalia repagula quodammodò infringere moliuntur, illoque conatu membra,per quæ tranſcurrunt,cõcutiuntur. Impulſo ad ſaltus corpore, ſenſim infringitur vis veneni, duplici ex cauſa; prima eſt, quià per ſaltationis motum excalefactum corpus,ſuos poros dilatat, undè libentiùs evaporationi, & tranſpirationi patet,& ſudoribus fit pervium, cum quibus halitus,& humor tabificus erũpit, altera,& forſan validior, quià modulatione exhilaratus animus,ad naturalem tonum, ſeù armoniam ſua pathemata concinnat, quod præſtari à muſica ſuprà probatum eſt; ſolum quidem corporis motum non ſufficere, credendum eſt, alioquin agreſtes homines, qui generatim huic malo ſunt obnoxii, viribus veneni facilè occurrerent, ſemper namque ligoni incumbunt.

CAP.

CAP. VII.

An ſit, & unde recurſus ille annuus veneni phalangiorum.

OMnes prorſus mortalis naturæ motus quamquam inconſtantibus viciſſitudinibus nutantes, lege certa, ſtabilique fluere, exploratius eſt, quam ut multis verbis, & exemplis probari opus ſit. Et tametſi mortalium ingenia curſuum, recurſuumque, & fluctuationum naturę mortalis cauſas plerumque perveſtigare nequiverint, aut ſi quas rationes adduxerunt, exiles peradmodum, & parvi ſint ponderis, nunquam tamen de illa lege dubitatum eſt; æterna quippè, univerſaliſque providentia, rerum omnium ab omnipotentia productarum, cum ſubitò habenas ſumpſiſſet, eaſdem creatas à te naturas ſic regit, ut nunquam voluit earum vires genuinas infringere, invertere, imminuere, nec in illis novos motus, novaſque propenſiones ingenerare ab illis, quas in primordiis habuere, diverſas; quemadmodum rationabiliter ſolers ille, & eximius

mius

mius philoſophus Renatus Des Cartes in ſuo phyſico ſyntagmate, tamquam incontrovertibilis apodixis hoc pro ſuo principio philoſophandi aſſumit; edoctus forſan in hac re ſicut & in multis aliis ſuæ philoſophiæ opinionibus ab incomparabili, & omnium hominum doctiſſimo Auguſtino, qui in toto volumine inſcripto de mirab. Sacræ Scripturæ probat per ſingula, Deum, nec cùm mira patravit ad ſuam majeſtatem, & potentiam refractariis hominibus oſtendendam, nec cum juſtis, & ſui amatoribus peculiarē amorem; & aſſiſtentiam manifeſtare voluit, nec cum ſuperbos, & pervicaces, impioſque miro modo delevit, naturales rerum motus propenſiones, qualitateſque congenitas unquam immutaſſe. Hæc ergò providentia regens, non immutans naturas, per volumina ſæculorum, tamquam per orbitam, univerſum ducit; indè evenit, quod illi naturales effectus rerū, qui ante actis ſæculis priſcis hominibus innotuerūt; & deindè oblivioni traditi ſunt, illius orbitæ circūactu denuò aliquando recurrant, ut iterum fluant, & oblivioni mandentur; & hominibus, talium viciſ-

ſitu-

ſitudinum ſpectatoribus, dum redeunt mira vidētur; & tamquam nova emergere ſpectacula exiſtimant, quæ poſteà uſu vileſcunt, & tandem penitùs intereunt, & mira futuris ſæculis erūt. Hanc rerum converſionem ſtabilem expreſſit Salomon, dicens: (a) *Quid eſt, quod fuit? ipſum, quod futurum eſt; quid factum eſt? ipſum, quod faciendum eſt.* Et alibi legitur, Deum certa lege, & giro vallaſſe abyſſum; & hic ſenſus tribuendus eſt dicto illi Prophetico, [b] de Deo aſſerenti: *qui profert numerosè ſæculum*, ſcilicet illum armonicè, & ſuis aptis, & certis numeris ducit.

Hac ſimiliter lege particulares rerum naturæ menſurantur. Quælibet quippè ſpecialibus, determinatiſque periodibus circumſcribitur, ultrà quas non aberrat. Quid pauca loquor? non ſolùm Aſtra, Cœlum, ſuperiores omnes, inferioreſque exanimes creaturas certæ legi Providentia ſubmiſit, ſed & hominum mores, & appetitus, qui eo quia ex rationabili facultate animæ humanæ oriuntur, & proptereà à liber-

[a) *Eccl. cap.* 1. [b] *Sap.*
(c]*Eſai. c.* 40. *juxta ædit.* 70.

bertate arbitrii proveniunt, ideò videtur eos legibus univerſi non debere aſtringi;nihilominus,ſi generaliter cōſiderantur,Providentiæ,canones,ſequi reperiuntur. Hoc ſæcula metientibus perſpicuum fit; redeunt quippè in hominibus mores illi, & appetitus, quos tamquam inconcinnos, & irrationabiles reſpuere majores; & quos iſti probavere in ſæculo „quo vixerũt, abominãtur poſteri. Huic veritati adſtipulatũr Auguſt.lib.4. de Gen.ad lit. *Neque enim*,ait, *menſura*, *&* *numerus*, *&* *pondus in lapidibus tantummodò*, *&* *lignis*,*atq; hujuſmodi molibus*,*&* *quantiſcumque corporalibus*, *vel terreſtribus*, *vel cæleſtibus animadverti*, *&* *cogitari poteſt*. *Eſt etiam menſura aliquid agendi*, *ne ſit irrevocabilis*, *&* *immoderata progreſſio*, *&* *eſt numerus affectionum animi*,*&* *virtutum*.Sic Aug.Idem, ſi fas eſt in ſacra manum, mittere, in diffuſione divinæ gratiæ in hominum cordibus videtur quodammodo poſſe dici, & conſiderari; gratia Dei namque ipſius providentiæ, iiſdem paſſibus,quibus terrena omnia metitur,aliquo modo incedit.Mundi certè Ephemeridas volventibus innoteſcit, quæ-

dam

dam cucurriſſe ſæcula ſanctis hominibus redũdantia, quædam plurimorum hæreticorum labe infecta, quædam doctrina, quædam impietate famoſa. Et ſic mundus uſquequò ad ſuum finem,tendat procedet; ita ut ea omnia, quæ in temporum hyſtoriis accidiſſe leguntur, ventura ſæcula denuò videbunt,& talis notæ, taliſque indolis homines cernent forſan poſteri, quos aſpexit antiquitas.

Hæc igitur lex in omnibus, & ſingulis Dei operibus imprimitur, & fruſtrà humanum ingenium aliundè, quam ab hac rationes eruere conatur ad perveſtigandũ,quarè hoc,vel illud in mundo eveniat; quarè tales, & non alii ſint cauſarum effectus; quarè nunc taliter naturales cauſæ operantur, nũc diverſimodè; vel quarè nunc agunt, nunc ab actione feriantur. Et quamquam multa circà hæc blaterat homo, niſi tamen tandem in hoc conveniat, ut dicat,ſic à Deo res diſpoſitas eſſe, ſemper ſeipſum fallet; hæc ſola ratio, omnibus aliis nutantibus,non vacillat, quemadmodum in tot ſolertibus conatibus phyſiologiæ, quæ nihil huc uſque certi firmavit, animadvertitur.

Nec

Nec erubeſcendum cuiquam, quantumvis culmen humanæ ſapientiæ ſe tenere jactanti, cum incomparabili Aug. id fateri, qui lib.5. de Sen. ad lit. *Nunc Deus*, ait, *per temporum moras operatur, quibus videmus ſyderi moveri ab ortu, ad occaſum, Cœlum mutari ab æſtate in hyemem, germina certis dierum momentis pullulare, grandeſcere, areſcere. Animalia quoque ſtatutis temporum metis, & curſibus concipi, & perfici, & naſci, & per ætates uſque in ſenium, mortemque decurrere; & cetera huiuſmodi temporalia. Quis enim*, concludit, *operatur iſta, niſi Deus*. En quomodò Auguſtini judicio, qui totum, quod ſcire unquam humana mens poteſt, attigit, Deus eſt, qui in naturalibus cauſis operatur, nec alia ratione, quam ductu divinæ ejus providentiæ incedunt, & quo ipſa vocat, fortiter, & ſuaviter eūt. Deus enim eſt, qui in numero, pondere, & menſura creavit omnia: non in numero, pondere, & menſura, tamquā in aliquo extrà res ipſas, ſed, quemadmodum idem exponit Aug. Ibid. lib. 4. dicens: *Fatemur ergò ità dictum eſſe, omnia in numero, menſura, & pondere diſpoſuiſti, tamquam ità dictum eſſet: ità*

di-

diſpoſita, ut haberent proprias menſuras ſuas, & proprios numeros, & proprium pondus, quæ in eis, pro ſui cuiuſque generis mutabilitate mutarentur augmentis, & diminutionibus, multitudine, & paucitate, levitate, & gravitate, ſecundum diſpoſitionem Dei. Hactenus Aug. quid plura? Auſus fuit quidam aſſerere, non ſolùm univerſalem illam aquarum inundationem, qua tota creatura deleta fuit, cauſarum naturalium gemino curſu, temporibus ſuis evenire debuiſſe, ſed & ultimam mundi conflagrationẽ iiſdemmet cauſis naturalibus agentibus futuram ſtato tempore affirmat. Hic Auctor teſte Sen. lib.3. nat. qu. cap.29. qui Beroſus, ſeù Belus fuit: *Curſu, ait, iſta ſyderum fieri, arſura enim terrena contendit, quandò omnia ſydera, quæ nunc diverſos agunt curſus in Cancrum conuenerint, ſic ſub eodem poſita veſtigio, ut recta linea exire per Orbes omnium poſſit. inundationem futuram cum eadem ſyderum turba in Capricornum convenerit*: Ità Seneca, qui prò mea fulcienda ſententia, ſequitur, gentili tamen phraſi. *Sivè, ait, anima eſt mundus, ſivè corpus, natura gubernante, ut arbores, ut ſata*

ab

ab initio eius, uſque ad exitum, quicquid facere, quicquid pati debeat imcluſum eſt; ut in ſemine omnis futuri ratio hominis compræhenſa eſt. Et legem barbæ, & canorum, nondum natus infans habet; totius enim corporis, & ſequentis ætatis in parvo, occultoque lineamenta ſunt. Sic origo Mundi, non minus Solem, & Lunam, & vices ſyderum, & animalium ortus, quam quibus mutarentur terrena continuit. In his fuit inundatio, quæ non ſecus, quam hyems, quam æſtas lege mundi venit. Itaque non pluvia iſtud fiet, ſed pluvia quoque: non incurſu maris, ſed maris quoque incurſu: non terræ motu. ſed terræ quoque motu. Omnia adiuvabunt naturam, ut naturæ cõſtituta peragantur. Huc uſque Seneca.

Si igitur lege certa omnia peraguntur in Mundo, & motus cujuſque rei in ipſa eſt inſitus in ſua primordiali conſtitutione, ſapiens talia animadvertens, nõ in dubium vertet, poſſe venenum hoc apulum, ſemel in venas immiſſum, & ſono, & ſaltatione medicatum, anniverſario recurſu ſuas vices exercere, cum non ſolùm pleraque naturæ, ſed omnia prorsùs ſuas periodos habeant. Nonnè hoc idem, & mira-

rabilius ſanè in tot februm generibus animadvertitur? Nonnè recenſet Galenus ἀμφημερινὸν, τριταῖον, τεταρταῖον, πεμπταῖον, ἑβδομαῖον, ἐνναταῖον. ideſt quotidianam tertianam, quartanam, quintanam, ſeptimanam, &, ſi dicere licet, nonanam febrem? In his morborum generibus, quid aliud obſervatur, niſi certis legibus circumſcriptus cujuſdam veneni curſus, recurſuſque, talem, vel talem febrem efformans? venenum equidem eſt omne id, quod naturalem corporis temperiem invertit, undè aut morbi, aut mortes prodeunt; quod ſi certo quodam ordine procedit in febribus, & habet ſua incrementa, & decrementa, interſtitia, lactat, prodit, demumque evaneſcit; & perfectè digeritur; quid ni venenum hoc apulum ſuas viciſſitudines habebit? Certè omnes omninò rationes, quibus coguntur phyſici cauſas tot diverſarum febrium explicare, nec una ex iis ommiſſa, aptari poterunt ad noſtrorũ tarantatorum afflictationes, annuoſq; recurſus perpendendum; quæ etſi non collineant, experientiam, & fidem febrium non enervant. Equidem, quemadmodum Plin. lib. 7. cap. 50. aſſerit;

Quaſ-

lumnarum noviſſimè intervalla jungantur; quid ſit; quod geminorum conceptum ſeparet, partum jungat; utrum unus cõcubitus ſpargatur in duos, an toties concepti ſint; cur pariter natis fata diverſa ſint, maximiſque rerum ſpatiis diſtent, quorum inter ortus minimum intereſt. Involuta veritas in alto latet. Et ſic infinitas res naturæ ignotas recenſere potuiſſet, ſuas certas leges ſervantes, quemadmodum menſtrualis fluxus ſãguinis in fœminis peragatur; anniverſarii quidam venti, & poſt quadraginta dies terræ motus reditus notantur. *Folia*, ait Gellius, [e] *olearum arborum, brumali, & ſolſtitiali die converti, & quæ pars earum fuerat inferior, atque occultior, eam ſupra fieri, atque exponi ad oculos, & ad Solem.* Hæc, inquã, quarè, ſtabili viciſſitudine incedũt? Rationem aliam, niſi illam, qua credimus à Deo taliter eſſe omnia, ſicut procedunt, formata, quis novit? Equidem ut ad rem veniam; Avicenna cauſam tot mirabilium effectuum melancholię ingenuè ſe ignorare fatetur; quidni pariter ignorabitur hujus noſtri veneni motus in corpore, & energia, & nume-

[e] *Lib. 9. cap. 7.*

ri,ſecundum quos operatur; cum ſicut jam diximus,ejus vi atrabilis in corpore efferveſcẽs, ad maniacos motus impellit affectos? Certus equidem cenſendus eſt numerus ille, & ſi ignotus, quo res omnes,ex vi cujuſque naturæ, aguntur, & ità hoc exploratum eſt, ut priſci homines,imò & præſentes, alios fauſtos,alios infauſtos ex rerum obſervatione,recenſuerint dies, undè rerum gerendarum omen deſumpſerunt; ex quo in proverbium abiit græcum illud longo hominum ævo probatum, ut refert Gell.(f)

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.

Ideſt: *Ipſa dies, quandoque parens, quandoque noverca.*

Hic idem Author[g]alibi dies atros, dies inominales quoſdam recenſet;[h] expertumque ſe eſſe in ſenioribus pleriſque hominibus, ſexageſimum tertium vitæ annum cum periculo,& clade aliqua venire, aut corporis, morbique gravioris,autvitæ interitu,aut animi ægritudinis; undè & κλιμακτηρικὸν ideſt ſcalarem illum appellant homines, quod forſan ægre ſupergrediatur; cujus

[f]*Lib.*17.*cap.*12. (g) *Lib.*5.*cap.*17. (h)*Lib.*15.*cap.*7.

cujus quænam ratio adduci poſſit, ignoratur. Inſuper Sen. lib. 3. nat. qu. cap. 16. quoſdam fontes recenſet, qui ſenis horis pleni, ſeniſque ſicci ſunt; & pleraque flumina, quæ certis menſibus magna, certis anguſta fiunt; & querens quarè quartana ad horam veniat, & podagra ad tempus reſpondeat, & purgatio ſtatum diem ſervat, & præſto ſit ad menſem ſuum partus: hoc mirum non eſſe debere, concludit; *cum videamus ordinem rerum, & Naturam per conſtituta procedere.*

Recurſus igitur annuus hujus noſtri apuli veneni inter hæc recenſita reponendus eſt; fateor, tamen perarduum eſſe, proximam de eo rationem reddere. Prima ergo ratio, & forſan potior, & certior illa ſit, quam diximus; omnia ſcilicet à Deo numeris ſuis compacta, & diſpoſita eſſe, ad quorũ normam, & vim incedunt; quarè autem hęc res tali numero polleat, & cenſeatur, aut illa alio numero, ſola cauſa eſt voluntas Creatoris, qui, ſi voluiſſet, aliter res conſtituiſſet; Nec ratio iſta indigna debet videri philoſopho, qui nuſquam benè, & exactè vires perpendet naturæ, niſi in lance illa omnipotentiæ, in

qua in rerum primordiis omnia appẽ-ſa fuere, illas examinent; cum niſi in illa, non ſit in alia vera, & juſta menſura. At philoſophorum morem aliquãtulum imitemur, ne hebetes nos exiſtimet vulgus, qui niſi quiſque in dicendo de ſuo aliquid promat, & ſi futile, & inane illud ſit, doctum quemque non appellat.

Hæc eſt igitur hujus rei ſumma dubitatio. Semel immiſſum hoc apulum virus, & ſemel medicatum, aut tunc evaneſcit penitus, aut reſidet; ſi evaneſcit, undè recurſus, abſque nova ejus immiſſione? ſi reſidet, quarè in corpore non graſſatur? Hoc idem dici poteſt de febribus, quas paulò ſuperiùs recẽſui; in quibus non ſolùm ſtabilis illa viciſſitudo animadvertitur, ſed etiam multoties ipſis medicamine occurritur, cujus ope penitùs recedunt, at poſt aliquot dies redeunt; ut exempli gratia, quartana febris Pervana cortice à corpore ad multos dies abſcedit, & ſuas periodos intermittit, ſed poſteà majori vi pollens redit. Quæri de hac febre poterit; ſi tabes illa, quartanam efficiens medicamine receſſerat, abſq; nova cauſa quomodò redit? ſi non re-

ceſ-

ceſſerat, quarè ſuos circulos non perficiebat? Exiſtimandum ergò eſt, vires hujus veneni ſono, & ſaltibus retundi, ſed nõ prorsùs ipſũ à corpore expelli. In quo autem hæc retuſio conſiſtat, nè generalibus verbis, nil rationis exprimentibus, ludamus, ſuſpicari meo judicio poterimus negotiũ ſicprocedere. Transfuſo primum veneno hoc in sãguine, hic exoticæ, exitialiſque rei adventu (quippè quæ, ut dixi, craſim genuinam ejus diſturbat, & adulterat, illum nimis ſuo enormi calore fermentando] quodammodò ſe excutit, & dibaccatur in venis, & in ſuos circulos actus, dum partem principem corporis permeat tabifica qualitate fervens, & multa atrabile lividus, ſedem rationis tetris phantaſmatibus arietat, & replet; & ſic tabes ſævit uſquequò ſono, & ſaltu diſcutiatur. Primis illis impulſibus repreſſis, remanet illa, ſed attenuata in venis, & propemodum fatiſcens, & effæta, & propter primos niſus debilitata; reſumptura denuò ſuo tempore vires; eo prorſus modo, quo, ſi herba, in qua primò erumpit granũ frumenti, aut quodlibet aliud ſemen, penitùs recidatur, paucis diebus inter-

jectis, videmus denuò in novam herbam ſemen abditum erumpere; quod ſi tertiò, vel quartò fiat, tandem omninò evaneſcit vis ſeminis, nec amplius germinabit; ſic propemodum in hac re ratiocinari poſſumus: ſenſim motu ſãguinis, agẽte natura, ut ſe à re inſenſa exoneret, expellitur tabes; interiecto aliquo tempore, nempè anno, reſumit vires, ſemper tamen prioribus debiliores, uſquequò prorsùs abſcedit. Conſideranda namque eſt vis illa veneni, ut dixi, tamquam vis ſeminis cujuſque rei in terra latitans; & quemadmodum terræ igneus ineſt vigor, quo ſemen ſovetur, & quo humidi aerei adminiculo ſtato tempore erumpit in herbã, ſic & in corpore humano ignea vis adeſt, aëre temperata, qua vis veneni ſovetur, intumeſcit, & dilatatur; qua dilatatione, ſanguinẽ, in quo continetur, impellit, velocioremque motum illi imprimit; ex quo ſanguine ſpiritus, ſeù aura illa vitalis, qua corpus ad ſuos motus præſto eſt, expreſſa, ad cerebrũ aſcendit, illa enormi agitatione imbuta, quam à ſanguine, ex quo orta eſt, accepit, indè ad poſteriorem cerebri partem, ubi imaginatio efficitur, tranſit,

ſi t, quam variè perturbat; tandem medi tullium capitis occupans, in quo ſubſtantiam rationalis animæ reperit, diſcretionem obiectorũ invertit; quod totum ab omnimodo Doctore August. clariùs exprimitur: [h) *Quædam vis ignea*, dicit, *aere temperata à corde ad cerebrum aſcendit, tamquam in Cælum noſtri corporis; ibique purificata, & colata per oculos, aures, nares, ceteraque inſtrumenta ſenſuum foras progreditur, & contactu exteriorum formata, quinque ſenſus corporis facit, viſũ videlicet, auditum, guſtum, odoratum, & tactum; qui tangendi ſenſus, ab anteriori parte cerebri ad poſteriorem tranſiens, & indè per cervicem, & medullam ſpinæ deſcẽdens, per totum corpus diffunditur. Porrò ipſa vis ignea, quæ exterius formata, ſenſus dicitur, eadem formata per ipſa ſenſuum inſtrumenta, per quæ egreditur, & in quibus formatur, natura operante introrſum ad cellam phantaſticam uſque retrahitur, & reducitur, atque imaginatio efficitur. Poſteà eadem imaginatio ab anteriori parte capitis, ad medium tranſiens, ipſam animæ rationalis ſubſtantiam contingit, & excitat di-*

(h) *Lib. de ſpir. & anim.*

ſcretionem in tantum jam purificata, & ſublimis effecta, ut ipſi ſpiritui immediatè conjungatur. Hoc totum repetii, ut oſtenderem vires ipſæ veneni quomodò totum corpus pervadant, ſenſuſque externos tarantatorum agant, & afficiant, violenterque, quo primò in corpore graſſantur, illos extimulent; Tantaque agitatio ſono tandem repreſſa, corporis membra, totaſque partes membrorum, quæ violenti ſaltatione dudum inſervierunt defeſſas relinquit; & pariter interna illa animi agitatio, hùc, illùcque animum ipſum impellens, animi vires enervat, ut ad novos motus impar evadat, ſic quieti ſe donant, & corpus, & animus; Talis eſt quippè ordo naturæ; ut omnibus perſpicuum eſt.

At quarè anniverſariè ægritudo recurrit? Multa ſunt in natura, quæ ex quo incipiunt tempore, ſtabili lege recurrunt; febres quippè ſi exempli gratia manè incipiunt manè recurrunt, & ſenſim, gradatim, secũdum menſuram attenuationis tabis, ex qua ortum habent, paulò tardiùs invadunt corpus, aut paulò citiùs, ſi tabes excreſcit; apoplexin regredi vidimus ſæpè eadem,

qua

qua primò hominem corripuit hora; nec ſolum corporis ægritudines tali lege ſubduntur, ſed pariter omnia prorsùs corporis munera tali circuitu coercentur; Recurrit ſomnus, fames, coitus appetitio, veſicæ extimulatio, alui dejectio ea ad amuſſim hora, qua primo corpus illa exercuit. Sic pariter cum in mediis æſtatis caloribus conceptum venenum phalangii tunc primò corpus divexavit, regrediēte æſtate, dum ſanguis ambiente aere efferveſcit, talem efferveſcentiam nacta hæc tabes, extimulatur, & inſilit; hyemali quippè tempore torpebat in ſanguine, quemadmodum inſerpentibus, aliiſq; venenatis inſectis hyeme venena torpeſcunt. Aut dici poterit ſympatica correlatione, qua nonnullæ res naturales, imò, & ſpirituales aguntur, quemadmodum perſpicuum eſt, illum recurſum in æſtate potiùs, quam alio tempore accidere. Tunc enim temporis, aut in phalangiis venenum redit, aut tunc vires exerit; ſic & in corpore tali veneno affecto tunc vires veneni experiuntur. Scio Neotericos è philoſophia hoc nomen ſympathiæ eliminandum ducere, quippè quæ non

ſignificet . niſi rerum naturalium conſenſum, abſque eo quod rationes, in quo talis conſenſus fundetur, explicet, quemadmodum philoſophum decet. At ipſi in medium proferant, ſi poſſunt rationes, quarè ut Lucilius ait:

Luna alit oſtreas,
Implet, & echiños, muribus fibras, & pecui addit;

Et quarè Luna deficiente illa exſucca ſint; quarè cæpe, ut tradit Plut. decedente Luna reviréſcit, adoleſcente inareſcit; quarè Elephas furens Ariete viſo quieſcit, ac conflacceſcit impetus; viperã ſiſtit ramus fagi admotus; Taurus ferus ficui admotus remollitur; quarè electrum omnia promoveat, & advocet, præter ocimum, & ea, quæ ſunt oleo perlita; coluber nudum hominem timeat, indutum perſequatur; quarè ocimum mulieribus inimiciſſimum, tanta antipathiæ vi pollet, ut ſi pultario inſcia muliere ſubiiciatur, obſoniis, niſi amoto, manum non admoliatur; & ſexcenta hujuſmodi. Non me latet ipſos hæc, & pleraque alia, quæ adducuntur, in dubium revocare; at forſan de maris reciprocatione, abditiſſimum naturæ arcanum, quæ eorũdem-

demmet teſtimonio, & Auguſt. lib. 1. de mir. Sacræ Script. tantam concordiam cum Luna oſtendit, veras, & conſonas rationes protulerunt? Fatendum igitur eſt, non ſolùm mirum, & inalterabilem conſenſum inter partes univerſi, ipſumque univerſum intercedere, ſed & inter univerſi partes inter ſe collatas, & inter partes partium. Certè inter pleroſq; Apulos hæc opinio invaluit, ut exiſtiment, ſi Phalangium illud, quod aliquē morſu infecit, extēplo interficiatur, aut quoquomodo intereat, diffuſum venenum vires non habere ad anniverſarias illas periodos conficiendas, ſed ſemel excuſſum, penitus abire. Hoc dummodo verum ſit, quod determinare non audeo, nonne aſtruit conſenſum, ſeù ſympathiam inter venenum in ſanguinem hominis diffuſum, & genuinum Phalangii?

Hic regreſſus veneni phalangiorum non eſt ad annos determinatos, ſed ad tres, ad quatuor, ad decem uſq; extenditur, & amplius. Hæc differentia non ex veneni qualitate provenit, ſed ex craſi corporis, in quod diffunditur. Quæ enim pollet ſanguine, qui uberiorem alimentum, & fomentum

veneno ſuppeditat, diutius tabem retinet; quemadmodum experimur in febribus, præcipuè quartanis, quę eadem cauſa productę, diverſis in corporibus plus, minuſvè perſiſtunt. Quæ autem ſit craſis illa, in qua plus temporis venenum immoretur, perdifficilè eſt determinare; exiſtimo tamen illam poſſe dici, quæ majori copia attrabilaris humoris referta eſt. Hic humor namque, tenaciùs, fortiuſque impreſſiones extrinſecorum obiectorum recipit, & violentius agit homines tali humore ſcatentes. Indè eſt, quod cernimus melancholicos fortius animi pathematibus actos, intēſius amare, aut odio habere, & difficilius illis impreſſionibus ſpoliari. Melancholia quippè cum ſit denſior, ſicciorque ſanguinis portio, ſeù propemodum oleaginoſa, & pingui natura, ſemel excandeſcens, tardius extinguitur. Quos autem tabes ad pauciores annos inficit, dicamus eſſe illos, qui puriori, defecatiorique ſanguine referti ſunt, in quibus ſubtiles ſpiritus, aēreique accenſi, tam facilè extinguuntur, quam inflammantur.

CAPUT ULTIMUM

Enarrantur nonnulla hoc veneno infectorum exempla.

PEr pauca ſubnectam Apulorum Saliorum exempla, eaque memoratu digniora, & quæ oculis ipſe accepi, & æqua mente intra memetipſum penſitavi. Alium quam meipſum teſtem nolui, ſciens pleraque de Apulis tarantatis circumferri, quæ aut vera omninò non ſunt, aut exagerata, aut de talibus narrantur, qui vel mentis levitate, vel aliqua ficta de cauſa ſaltare conſpiciuntur.

In Cœnobio, in quo quondam ego degebam, aderat unà quidam ruſticis negotiis præfectus Monachus, ætate maturus, ſimplex potiùs, & prorſus inurbanus homo, quam fucare ſuas actiones quoquomodo gnarus. Hic demorſus aliquandò à phalangio, conceptum venenum per aliquot annos ſaltibus excuſſerat, optimèque illi ceſſerat. Attenuatum, & retuſum virus dehinc ſenſim defatiſcebat, uſquequò ultimis annis ægrè ad ſaltandum extimulabatur; quapropter intra ſemetipſum decreverat in poſterum non amplius ad ſaltum proſilire. Recurrit æſtas; nec uſque ad menſem Auguſti ali-

aliquid mali patiebatur; lenta in principio hujus menſis febre corripitur; in lectulo decũbere cogitur; adſunt præſtò Medici;&ad pharmaca confugiunt, ſed fruſtrà. Inſurgit gravior febris, & angore animi, anxiaque anhelatione, penè præfocatus, conglomerata, & ſonora, non tam emittebat, quàm evomebat, ſuſpiria, & antiquæ, tabis oblitus, ſeù non ſuſpicans tam grande malum ex illa toties excuſſa effici poſſe, ad interitum properabat. Intereà forte fortuna die quadam ſedens ego in cellula, animi cauſa, muſicum organũ, quod ibi aderat, incepi ſubmiſsè pulſare, non ità tamen, ut ſonitus ad aures illius ægroti, non longè decumbentis, non pertingeret. Extemplò ſuſpirium, mugitvi ſimile eructavit, & cõtinuante modulatione, ſurgit è lectulo, & in meum cubiculum phanatico, & inſanienti ſimilis irrupit, nudus ut erat, ſola circumtectus ſubucula; & ejulans, & ſuſpirans in ſponda grabati ſedit. Percunctanti mihi ut valeret, & cur tam miserè ſuus ſpiritus anxiaretur, ſuſpirio reſpondit; & addenti, quarè illùc advenerat; num levamen aliquod eo modulamine ſuæ ægritudini adveniret; annuit; & ut ſonitum non

in-

interrumperem poſtulavit. Dum cytharizo numero illo muſico, qui immanus erat, antiquæ illius tabis memini, & experiundi gratia, an Phalangii veneno agebatur, concitatum, & citum ſonitum illum, quo ſciebam tarantatos cieri, è fidibus elicio. Illicò ſurgit, & coram me ſtans cytharam intentis, nec connivẽtibus oculis perſpiciebat; Paulo poſt quatiens ſenſim caput, conſtitit in pedum digitos, calcaneos citiſſimè ſublevans, & deprimens ante cytharam inclinatus; & tamquam fervidus, & impatiens amator coram ex animo diù concupito obiecto, videbatur anxietate nimia laborare, quaſi volens oculis hiantibus ſonitum illum deglutire; Et ſic per horam in illa agitatione perſeveravit, ſpectantibus cũctis Cœnobii Monachis, qui ad tale ſpectaculum convenerant. Hoc peracto, craſtino penitùs convaluit, nec deinceps iteratò ad ſaltus redire coactus eſt; erat tunc forſan in ultima ſui attenuatione venenum, parvoque illo motu penitùs excuſſum fuit.

Dum hæc recenſeo, mulier quædam nobilis, juncta connubio viro hujus Lucerinæ Civitatis Antiſtitis ex fratre Nepoti, ſaltationi incumbit. Hęc antè

antè coiugium à phalangio demorſa, ſeptem non interruptis annis ſaltare coacta eſt, & hic ſeptimus annus eſt. In ſuis ſaltationibus hunc ſemper ſervavit ritum. Priuſquam ultimo extimuletur ad ſaltandum, per decem, aut quindecim dies in lectulo ægrotat, angore animi, & anhelo ſpiritu cruciata; cibi faſtidio laborans, lentè, & coactè veſcitur. Ingraveſcente morbo, & extenuato longa inedia corpore, introvocantur fidicines. Intereà aulæa purpurea verſiculorata per cubiculum uſquequaque diſponuntur, & in medio cubiculi peramplum pollubrum aqua plenum, virentibus ramis coronatum, & hinc, & indè ad parietes duo pergrandia ſpecula parantur. Fidicinibus modulum illum perſonantibus, quo noverunt illam ad ſaltandum cieri, procedit mulier nuptialibus veſtibus concinnè circumdata; compta comis, verſicoloribus faſciolis irretitis, gemmiſque, & auro digitis, pectore, collo, & auribus micantibus. Graviter primò per cubiculum deambulat, de hinc ſenſim movetur ad ſaltus, in quibus ſic tandem efferveſcit, ut mirum dictu ſit, quam immoderatos, enormes, varios,

concitatoſque motus pedibus, manibus, capite, oculis, & toto prorſus corpore deſcribat, ante, & ponè ad lævā, ad dexteram, ſurſum, deorſum ſe agēs. Poſtquam celerrima pedum jactatione ſe defatigavit diù, phanatico errore, ſeù potiùs maniaca rabie percita, antè ſpecula ſaltat, & in illis ſui imaginem intuens, altos gemitus eructat; & enſe, quem vibratione continua manibus geſtat, ſeipſam minitatur, ictuſque nunc ad parietes, nūc ad muſica organa, nunc ad ſpecula, nunc ad ſua brachia dirigit, & hoc non tam incaſſum, ut aliquando, leviter quamquā puncta, ſuo ſanguine non madeat. In ſaltando ſæpè nimio calore caput, vultumque excalefactum, multoque ſudore manentem in ſubiectis aquis penitùs demergit; in illiſque impatienter, & indignabunda volutatur; poſtquam tamen in aquis diù ſemetipſam conſpexit, & coram illis ridiculas, & inſanas geſticulationes, quemadmodum, & antè ſpecula, luſit, non his contenta, enſem furiosè proiicit, & in genua provoluta antè fidicines, Magadis, ſeù Harpæ uno latere manu præhenſo, ut ipſi innitatur, creberrimis

icti-

ictibus genibus pavimentum pinſitat; & tam velociter caput circumagit, quaſſat, ad omneque latus flectit, proiicit, & quodammodo jaculatur, demiſſo ſemper vultu; ut adſtantes cogat vertigine laborare; His debacchata motibus, ſurgit, furiis percita, mente abalienata, igneo rubore genibus, & oculis perfuſa, hàc, & illàc palans, circumcurſans, & aliquandò, mirum dictu, uno inſiſtens pede, tamquam turbo veloci circumactu totius corporis ſe ſe agit, abſque eo quod illo enormi, & contrà naturam corporum terreſtrium motu vertigine, hebetatione, & titubatione oculorum; & cerebri labore in terram præceps ruat. Aliorum tarantatorum more triduana ejus ſaltatio eſt, & ter in unaquaque die interquieſcit, ter ſaltus reſumit, ſemper iiſdem, quos recenſuimus, motibus; Ultimo tamen die, poſtquam bis, quemadmodum dictum eſt, ſaltavit, circà veſperam, multa, denſaque atrabile obnubilata, profundo mærori animum dat, dejecta, proſternata, tamquam ſi mille eſſet ærumnis obnoxia; quapropter decumbit, crebriſque ſingultibus perardunm anhelitum intercludentibus, la-

cry-

crymis ſcatentibus, ingemit. Hujus cauſa facilè reddi poteſt; anteactis quippè ſaltationibus, & immodico motu toto corpore excalefacto, & quodammodò in ipſo humoribus percoctis; & per poros hiantes evolatis ſubtilioribus, & defæcatioribus ipſorum partibus; terrea bilis iners, frigida, ſola remanebat; hac proindè agebatur, quæ luctuoſis imaginibus illius mentem replebat. Hac de cauſa feſtivos apparatus, læta, & amena obiecta reſpuebat, & averſabatur. Igitur abiectis indignabundè verſicoloribus, pictiſque indumentis, lugubribus veſtiri flagitat, ſimul & ablatis jucundis aulæis è parietibus, tetra goſſypia poſtulat. Interim gravi, & mæſto modulamine fidicinibus pſallentibus, lentè procedit ad ſaltus metatos, & ſerios, profundis ſuſpiriis, immò ululatibus continuò pectus concutientibus. Inter ſaltandum majori ſemper angore corripitur, ità ut mæſtitia in deſperationem verſa, crebris pugnis pectus contundit, vultum miſerè, & furibundè ambarum manuum palmis verberat, crineſque è faſciolis, quibus irretiti ſunt liberatos, unguibus diſſipat, & diſcer-

ſcerpit. Tandem lacrymis affluenter obortis,& erumpentibus, omnibuſque propemodum adſtātibus ad fletus pariter excitatis, extrema laſſitudine adacta, in manus ancillarum effætum corpus deponit; quod urgente nocte parca cœna refectū,pleno ſomno conſopitur, & manè ſuo genuino vigore refertum ſe videndum præbet.

Quædam infimæ ſortis mulier, meſſis tempore ad ſpicilegium egreſſa, ſecum una admotum uberibus infantem bajulans; ubi in agrum pervenit, ut expeditius ſpicas colligere poſſet, puerum in ſtramentis depoſuit. Hunc momordit Phalangium; quarè ad mortem paulò poſt ęgrotavit;eumque infelix mater, cauſæ morbi omninò ignara, inconſolabiliter deflebat, eò vel maximè, quia inaniter jam quibuſdam pharmacis illius malo occurrerat. Intereà caſu quadam die cytharæ quidam pulſator illàc cytharizādo pertranſiit; & ſtatim, ac cythariſma ad aures puelluli pervenit, aliquantiſper ex morbi angore revaleſcens, pedes, quamquam faſciis obligatos, crebris niſibus, & ictibus agitabat, manuſque quatiebat, & ex ulnis matris

exi-

exilire, & ſe ſe in cytharãm jaculari conabatur, & ſi libertas, & vires ſuppetiiſſent, ad ſaltus ſe proſiliturum demonſtrabat; anxietatem illam in vultu, & oculis præſeferebat, quam cæteri à Phalangio percuſſi oſtendunt. Cauſa morbi cognita, biduana ſaltatione penitùs convaluit, ſtupentibus una mecum cunctis, qui ad tam novum ſpectaculum accurrerant.

Perveſperi aliquandò inſtanter ego vocatus, ut properè convenirem in domũ cujuſdam pauperculæ, alioqui bene moratæ, notæque honeſtatis mulieris, quam à Dæmone occupatam dicebant vicinæ, ut ſacris adjurationibus Dæmonem, aut expellerem, aut compeſcerem; In caſam irrupi, & mulierem illam aſpexi, mente omninò ab alienatam, & multiformia deliramenta, riſum facientia, agentem. Aſtans quippè ante lucernam, quæ ibi cubiculum lentè illuſtrabat, illam deridicula oris, oculorum, manuum, capitis, totiuſque corporis geſticulatione contemplabatur, nunc læta, nunc triſtis, nunc plaudens, nunc objurgans, nunc labia in riſum contrahens, nunc ſevera ſupercilium demittens, nunc alloquẽ-

ti

ti ſimilis in varios geſtus manus jactans, & denique temporis momento mille alternans membrorum motus, & varias, contrariaſque animi paſſiones exprimens. Ad tale ſpectaculum mecũ duo alii Sacerdotes convenerũt, & non diſpari omnium noſtrum conſenſu arreptitiam illam cenſuimus; quapropter exorciſmis uti cæpimus. At dum his totis niſibus incumbimus, illac fortè fortuna prætergreditur fidicen cytharizans, & ecce de repentè, ut ſonitu tacta fuit, è noſtris manibus ſe ſe mira celeritate expeditur, & veluti inſano furore correpta è domo exiliens ad ſaltitandum incompoſitè, & concitè ſe dedit, fidicinem per tranſeuntem inſequens. Hoc fidicen animadvertens, gradum ſiſtit, & ſonitum ſuſpendit. Tunc mulier, ac ſi fulmine tacta fuiſſet, decidit in terram exanimis. Effertur à neceſſariis domum, ſequente fidicine, qui juſſus, ad modulamen rediit, & continuò ſemianimis illa novo vigore repleta ſurrexit, & duarum horarum ſpatio indeſinenter ad ſaltus fortiter ſe dedit, & deindè duobus ſequentibus diebus ſaltationem continuando omninò convaluit.

Agre-

Agreſtis quiſpiam juvenis, & ad rura hujus mei Lucerini Cœnobii excolenda deſtinatus; inter omnes penè Apuliæ paſtores, & villicos per hoc ſolum notus erat, quia ſcilicet inter ipſos conſtans erat opinio, immò inconcuſſa fides, illum poſſe occulta, quæque detegere, abſentia cujuſque, facta indicare, nummorum theſauros ſub terra conditos, ſeù alibi, patefacere; Hæc omnia,& pleraq; alia mira ruſticus ille jactabat, venditabatq;& plerique ruſticorum illum conſulebant, quamquam ſemper incaſſum; Hoc tamen modo ex ipſius ore extorquebant ſuis petitionibus reſponſa. Pulſabatur ab aliquo cythara, ad cujus ſonitum, in terram illico provoluebatur, præcipiti lapſu, & extrà ſe rapiebatur, & tamquam ſi comitiali morbo correptus eſſet, deſpumabat, & horrendis contorſionibus oris, manuum, oculorum, totiuſque corporis agebatur. Exindè, modico temporis intervallo, ad ſuam genuinam corporis diſpoſitionem,vultuſque hilaritatem, abſque alio adminiculo revertebatur; Tunc omnes feſtivè alloquebatur; at dignoſcebatur in vultu, promptitudine, &

te-

temeritate quadam loquendi, ſua non eſſe verba, quæ effutiebat. Interim ſono Cytharæ continuante proſilibat ad ſaltus. Ego, tali notitia imbutus, de hoc ſemel ruri periculum feci, & ſic, ut narratum eſt, accidiſſe comperi. Evenit inſuper aliquando, mei cujuſpiam Amici precibus extimulatus, qui & de iſto homine audiverat, quæ rettuli, ut hujus curioſitati favere coactus ſim; quapropter illum è rure accerſitum, in domum præfati Amici præmiſi, illùc unà conveni. Adſunt muſica organa, devenitur ad modulamen, decidit ruſticus, omniaque ſuperiùs dicta adamuſſim explevit. Surgit; at quià mens Amici mei non erat, ut cerneret illum ſaltantem, ſed ut de rebus abſconditis, videlicet theſauris, rebuſque clam ablatis illum interrogaret; ſuſpenditur ſonus; percontatur Amicus: reſpõdebat, at generalibus verbis, ad rem non facientibus, vel ambiguis, non concludentibus; Interim inſtabat ut fidicines cytharizarent; ſatisfit, & ad ſaltus agilitate mira proſiliit. Excalefactus motu, petit enſem; affertur; accipit, & poſtquam paulò jocularibus, & ad irritum ictibus luſit, cuſpidem con-

contrà ſemetipſum vergens, illam, mirum dictu, totis niſibus in ſuum latus impegit. Exhorrui, & rebar miſerum illum tunc tunc exanguem, & exanimẽ ruiturum. At contrà evenit; ille quippè in ſemetipſum ſævitia non contentus, enſis capulum parieti fortius fixit, & mucroni incumbens, ſeipſum in ferrum totis niſibus propellit. Et cum animadvertiſſet nimium exilem, & flexilem chalybem eſſe, enſem, rejecit, aliumque ſolidiorem, & firmiorem popoſcit. Quo oblato, in ſuum latus eodem modo cuſpidem profundè immerſit, & quaſi voti compos effectus lætanter, & quodammodò triumphans cum enſe illo, ſic in latus infixo, ſaltavit; nec enſis agitatione corporis à latere evellebatur; tam tenaciter, & altè vulneri inhærebat. Quod dirum ſpectaculum nos omnes, qui talia cernebamus, ſtupore, pietate, & horrore replevit; admirantes quemadmodum tam patiens, & conſtans ille eſſe poterat, ut nec in vultu ſigna doloris patefaceret, & quarè ſanguis ex tam alto vulnere non effluebat. Evellit indè à latere enſem, & à nobis curioſitate adactis latus inſpectum fuit, & nil niſi

in levi, & parva cicatrice parum ſanguinis circumductum comperimus. Verumtamen vulnus animadvertimus non in præcordiis, ſed tantùm in cute lateris extare. Interim percontor illum de quopiam furto heſterno, aliqua incerta blaterando reſpondit; & repetente me, illum falſa jactare, ira excanduit; & mihi aſſeveranter contendenti, mendacem eſſe, enſe, quem in manus habebat minitatus eſt. Tandem nos animadvertentes irritam eſſe noſtram curioſitatem, nihilque certi ex ſuis reſponſis colligi poſſe, fidicinibus, ut à ſono ceſſarent, annuimus. Quo facto, in terram protinus corruit, & quemadmodum vapulatus puer altos, & miſerabiles ejulatus emiſit; paulòque poſt confortatus, ſurrexit dolenti, & lamentabili vultu, & ſic diſceſſit.

Hæc duo ultimò relata exempla, tametſi communiter ab inſpectoribus exiſtimata fuere tarantatorum; nihilominus intrà memetipſum totam hiſtoriæ ſeriem maturè perpendendo, addubitavi; num potius ex Dæmonum incurſu ea omnia, quæ in illis affectis perſpexi, accidere potuiſſent; quippè quia talia mira, & deridicula in cæteris

non

non viſuntur, qui verè hoc veneno acti ſunt; nec quidem tarantati Apuli occulta ſcire ſe jactitant, nèc horrificis contorſionibus membrorum obnoxii ſunt unquam, quemadmodum ruſticus iſte; nèc itidem mimicas geſticulationes tales, quales in illa fæmina perſpexi, ludunt. Et præter hæc, ex aliis inſuper inſolentibus oris motibus, & verborum ſenſibus, Dæmonum opera relata fieri opinatus ſum. Nec æquidem novum eſt, hac fraude Dæmones, dum humana corpora obſident, uti, ne viribus adjurationum moleſtentur, torqueantur, & à corporibus exire compellantur; nam dum putant fideles, arreptitios naturalibus angoribus vexari, quibus medelis pariter naturalibus occurritur, à quibus nihil noxæ ipſis advenit, impune corpora torquent. Huiuſce rei præclarum extat in ſacris litteris exemplum, ut ſexcenta alia pertranſeam; de homine ſcilicet illo energumeno, quem ad canonem viciſſitudinum lunæ excruciabat Dæmon, ut lunaticum demonſtraret. Ex iſtis permulti in Apulia ſunt, qui vulgo *tarantati* cenſentur, & verè à Dæmone poſſidentur. Quamobrem

accidit,quod tam mira, & incredibilia de noſtris tarantatis dicta ſint, & circumferantur, quæ in ordine naturali impoſſibile eſt contingere poſſe. Itidem non inficior, falſo quandoque nomine tarantatorum appellari multos, qui multa melancholia afficiuntur; cujus miros effectus non eſt, qui non legerit, & viderit. Ex hac adacti ſunt ii, qui ſolitariè circumcurſare aſpiciuntur mortuorum ſepulcra, ędificiorum rudera, devia, & avia frequentare loca, taciturni, mæſti, vultibus obnubilatis, demiſſis oculis, loqui neſcii, ſuperciliis demiſſis, quos quidam ignari virium huius maligni humoris,inter tarantatos reponunt, & ſonitu extimulant. Qui quidem quamquam aliquando vi ſonitus ad ſaltus proſiliunt,tamen illud evenit,aut quià credunt,ſe illa gravi moleſtia ſaltando exuere poſſe, aut forſan,quia dubitant mærorem animi,quem ſentiunt,fluxiſſe à phalangii veneno,quod neſcii in ſanguine contraxerunt. Inter iſtos aſcribendus eſt forſan hic, de quo hic ſubnecto exemplum.

Ex humanis ſublatus eſt quidam concivis meus,perſpectæ bonitatis Sacer-

cerdos, honeſtate morum, maturitate, & pietate omnibus notus; hic aliquando phalangii veneno infectus, ut exiſtimabatur, ſaltatione, ad quam ægrè ſuaſus, imò & coactus à ſuis neceſſariis fuit, incolumitati donatus eſt. A mè dū benè ſe habebat, interrogatus, quid mali à tabe illa intrà ſemetipſum excitari ſentiebat; & quęnam illi mens erat, dum ſaltibus incumbebat; reſpondit, ſe profundo, & obſtinato mærore oppreſſum, omnia levamina reſpuiſſe; ſolummodò aliquātulæ hilaritatis ipſi advenisse ex modulis ſonitus lætis, ex verſicoloribus obiectis, virentibus ramis, lympidis aquis, læni murmure decurrentibus; itidem ex occurſibus, collocutionibus, & conſuetudinibus ſympathicorum hominum, & amicorum. Quapropter ubi veſperabat, quia talibus frui nequibat, & quià ſua atritate nox mærorem ingeminebat, ideò tunc mæſtitiæ animum, tenacique ſilentio totum ſe dabat.

FINIS.

LAUS DEO.

INDEX
CAPITVM
LIB. I.

Cap.I. *Vbi Phalangium naſcatur, & degat.* pag.18.
Cap.II. *De eius cavernula.* 20
Cap.III. *Quando è caveis egrediatur: quam prædam, & quomodo venatur.* 23
Cap.IV. *De eius forma, & habitu corporis.* 25
Cap.V. *De eius ore, & an ſpiret.* 32
Cap.VI. *Quando, & quanto tempore occuletur, & ubi; & an tunc alatur, & quomodo.* 40
Cap.VII. *De mole corporis.* 51
Cap.VIII. *De eius generationis Hiſtoria.* 54
Cap.IX. *Quando, & quomodo virus effundat.* 60

LIBRI II.

Cap.I. *De eius qualitate veneni.* 67
Cap.II. *De effectibus veneni.* 70
Cap.III. *Congruentibus rationibus oſtenditur hoc venenum impoſturam non*

non eſſe. 87
Cap. IV. *Refragantium rationes proponuntur.* 94
Cap. V. *Allatæ rationes retunduntur.* 103
Cap. VI. *Quomodo poſſit huic malo muſicus ſonus mederi.* 117
Cap. VII. *An ſit, & unde recurſus ille annuus veneni Phalangiorum.* 135
Cap. VIII. *Enarrantur nonnulla hoc veneno infectorum exempla.* 157

FINIS.

AΦ1 1456394

[illegible] Google

Digitized by Google

Google

B